Sc. 7. Cp. 15.

2.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

DIGNITATIBUS

QUAM

Volente juvanteq; DEO
EX DECRETO ET AUTORITATE
NOBILISSIMI JCTORUM IN ILLUSTRI
JULIA ORDINIS,
PRÆSIDE
VIRO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO
DN. GEORGIO WERNERO, I.V.D.
CANONICI ET FEUDALIS P. P., DICASTERII GUELFERBYTANI ADSESSORE
DIGNISSIMO, FACULTATIS SUÆ
p. t. DECANO, &c.
Domino, Præceptore ac Fautore ſuo
æternùm Venerando,

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET
PRIVILEGIA CAPESSENDI.
Publico eruditorum examini exponit
AUGUSTUS MILAGIUS HALBERSTAD.
Ad diem XVI. Aprilis.
horis ante-& pomeridianis.
in loco conſueto.

HELMESTADI
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.
ANNO CIƆ IƆ C LVII.

Cum Deo.

THESIS I.

EA quidem eſt virtutis majeſtas, ea pulchritudo, ut facilè unumquemque in ſui amorem accendere, & propter ſe expeti poſſit ac debeat Aristot. 1. *Eth.* 7. Et ſua cuique conſcientia ſatis amplum eſt theatrum, accinente in Conſulatu Mallij Theodori Claudiano,

Ipſa quidem Virtus pretium ſibi, ſolaq; latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi;
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.

Eo tamen ingenio ſumus homines, ut præmiis, quæ ſubſequi vitam honeſtati conformem ſolent, fortiùs ad virtutis ſtudium quàm ullâ aliâ re moveamur. Quemadmodum plurimi quoque mortalium ſcelera non ob eorundem turpitudinem, ſed metum pœnarum legumque vindictam fugiunt ac dediſcunt. Quod ſcitè expreſſit Vlpianus in *l. 1. ff. de Iuſt. & Iur.* cùm bonos metu pœnarum, & præmiorum exhortatione effici, & Solon, qui *apud Plutarchum* rempublicam pœnis & præmiis contineri dixit. Adde Bachov. in *Protis ad l. 7. ff. de LL.*

II.

Inter autem præmia virtutis non poſtremum locum occupant honores & dignitates Ariſt. 8. *Eth. ult.*, ſive ob alienam, ſive propriam virtutem obtingant, ſive in potentiâ quadam civili, ſive in famæ nominiſque amplificatione conſiſtant B.

Horneius *lib. 1. Phil. mor. c. 6.* In iſtam certè ſententiam Cicero *in Orat. contra Salluſtium* duplicem facit ambitum, laudabilem alterum, eorum puta, qui virtute nituntur; Alterum illaudatum & legum ſeveritate notatum, illorum, qui per prenſationes & amicorum ſuffragia honores affectant, quo de Vid. *l. un. ff. & C. de L. Jul. amb.* & inprimis omni prædicatione majorem *Novellam 8 per tot.* Ita quoque Cornelius Tacitus Sophronij cujuſdam Tigellini meminit, qui obſcuris parentibus, fœdâ pueritiâ, impudicâ ſenectâ præfecturam vigilum & Prætorij, & alia *præmia virtutum* vitiis erat adeptus *Hiſtor. 1. cap. 32. §. 2.*

III.

Confirmatur iſtud porrò inſigniter ab Ariſtot. *1. Ethic. 5.* dum tanto niſu à prudentibus etiam, quos *cit. loco* χαρίεντας καὶ πρακτικοὺς appellat, honores expeti ait, quòd virtuti ſuæ collatione eorum teſtimonium perhiberi arbitrentur, atque adeò quantò aliis præſtant dignitate, tantò quoque excellere eoſdem virtute cenſeantur. Et quò magis in animis hominum opinio virtutis de ſe excitetur, annituntur philotimi, ut à præſtantibus viris, & peritis rerum cenſoribus honores capeſſant, eosq; quos rudis & ignara plebecula defert, minimi faciunt, ut *ibid.* monet, & latiùs perſequitur Philoſophus *8. Ethic. 8.*

IV.

Cùm verò præterea Virtus alia belli, alia pacis uſibus inſerviat; Alia ita ſit inſignis, ut toti generi conciliet decus Ariſt. *1. Pol. 4.* alia perſonam tantùm exornet; Cùm hic magis ille minùs excellenti virtute ſit præditus, conſequitur, dignitates quoque alias eſſe atque alias, & gradibus inter ſe diſtinctas, uti in ſeqq. ex *tit. C. de equeſtr. dign.* & *tit. C. ut dignit. ord. ſerv.* noſtrisque moribus prolixè demonſtrabitur. Nec obſtat huic, quod D. Thomas, *2. 2. quæſt. 61. art. 2.* docet, & pasſim inculcat Ariſtoteles *3. Polit. c. 6. 7. & 8.* in Oligarchiâ ſecundum divitias; In Democratiâ ſecundum libertatem præmia diſtribui; Nos enim de bonâ, non vitioſâ republica, de eo, quod fieri debebat, non quod fit, hactenus diſſerimus.

V.

Virtutis porrò nomen hoc loco involvit reſpectum ad rem-

rempublicam, ſive bonum commune, in quod actiones Civium mediante juſtitiâ univerſali diriguntur Ariſtot. *5. Ethic. 1. Multi enim in ſuis quidem rebus ſatis rectè ſe gerunt, ſed in converſatione cum aliis virtute non utuntur.* Cui conſonam Vid. *Nov. 69. pr.* Nam cùm honores communia ſint totius univerſitatis præmia, eum, qui particeps eorum vult fieri, publicæ rei virtute ſuâ & meritis prodeſſe oportebit. Memoratu digna ſunt Ariſtot. *8. Ethic. c. 8.* verba: *Honore non afficitur is,* inquit, *qui nihil boni confert in rempubl.; Nam quod publicum eſt, ei tribuitur, qui de re communi benè meretur: Honos autem res communis eſt.* Sic Scipio non quà vir fortis, ſed quà patrij exercitus dux, & libertatis propugnator ante 25. ætatis annum tantos honores indeptus fuit Liv. *lib. XXVI. c. 18.* Et Cicero, non quia prudens vir, ſed quà prudens ſenator Conſulatum aliosque honores gesſit. Hinc meritò nobis diſplicet diſtinctio nobilitatis in Ethicam & Politicam allata à Viro alioquin Celeberrimo; Nam Virtus, quæ nobilitat, ſemper involvit reſpectum ad rempubl. & erronea eſt Acciajoli, aliorumque ſententia exiſtimantium, Ethicam hominem informare ut privatum, Politicam ut rempublicam benè inſtituat atque gubernet. V. Amplisſ. Dn. Conring. *de Prudent. Civili c. 6.* Hornei. *lib. 1. c. 2. n. 4.* Suth. *de Idict. n. 6. & 7.*

VI.

Vt autem omnia ritè adminiſtrentur, maximè intereſt boni publici, ne de honoribus cuicunque pro libitu delibare liceat, & ne privati in propriâ causâ judices conſtituantur contra gravisſima Philoſophi monita *3. Pol 6. & 12.* & *t. t. C. ne quis in ſuâ cauſ. jud.* Nam ex corrupto ejuſmodi per φιλαυτίαν judicio inæqualis bonorum diviſio; Ex hâc diſſenſiones, & mutationes tandem rerumpubl. oriuntur, uti aliàs in vulgus notum eſt, & præſenti periculo expertæ ſunt Athenienſium ac Romanorum civitates.

VII.

Hinc jam in propatulo eſt, interventu ac autoritate majeſtatis, quæ publico bono præeſt, & civium actiones, vitam ac fortunas in ſalutem civitatis dirigit Sutholt. *diſſert. de Jurisdict.*

uſq; ad §. *15.* & doctisſimus Arniſ. *lib. 3. de Jur. maj. c. 1.*, opus eſſe, ut recto conſilio merita dignoſcat, honoresq; vel de novo conferat, vel augeat iterum, vel annullet, prout reip. uſus, & temporum necesſitates exigere videbuntur. Appoſitè ad hunc locum Polybius majeſtatis jura inter Coſſ., Senatum & plebem dividens *lib. 3. Populo pars*, inquit, *aliqua relinquitur, eaq; gravisſima. Etenim ſolus ille cùm honorum, tùm ſuppliciorum in republ. poteſtatem ſortitus eſt, quibus ſolis & potentatus & politia, ac in ſumma universa mortalium vita continetur.* Idque ipſum eſt, quod Casſiodorus *lib. 6. Epiſt. 23.* tradit, *à Principe exire dignitates, ut à ſole radios*, quodq; Dd. ad nauſeam ferè inculcant, *Imperatorem eſſe fontem omnis honoris atq; dignitatis*, Lancellot. *in templo omn. jud. lib. 1. c. 1. §. 1.* quo de infrà magis opportunus erit dicendi locus.

IIX.

In poteſtate itaque Majeſtatis cùm ſit, conferre & denegare dignitates, non abs re eſſe videmus, quod ex doctrinâ Ariſtotelis *1. Ethic. 5.* hauſtum omnium ore frequentatur; Honorem non eſſe honorati, ſed honorantis B. Hornej. *lib. 1. Philoſophiæ mor. c. 6. n. 2.* ubi hanc explicationem probat. Hanc tamen poteſtatem boni Principes, aliæque Majeſtates civiles limitibus Iuſtitiæ diſtributivæ, & Geometricæ proportionis ita includunt, ut *non tàm verborum venuſtas, quàm morum honeſtas, non tàm quantitas munerum, quàm puritas manuum foveri videatur*, quod ſuo tempore neglectum queritur Avila *cap. 4. de Præt.* citatus à Perezio *in Tit. C. de agent. in reb. n. 8.* Diſtributivam autem juſtitiam circa collationes honorum occupari ex iis, quæ diximus, non obſcurè colligitur; Eſt enim honor virtutis præmium; Iam cùm omnes cives ad virtutis ſtudium aſſueſacere annitatur Majeſtas, & idcircò præmia Virtutum omnibus civibus proponat, conſequitur inde, honorem eſſe communem, ijsque mediante diſtributivâ juſtitiâ communicandum Ariſt. *5. Ethic. 2.* In diſtributivâ autem juſtitiâ Geometricæ proportioni locum eſſe demonſtrat Philoſophus cùm argumento *5. Ethic. 3.* quod noſtrum facimus, tùm conſenſu omnium prudentum *d. c. 3.* quos in eo quidem convenire ait, quòd dignitates *κατ' ἀξίαν* ſint diſtribuendæ, ſed

dæ, ſed quâ in re ἀξία collocari debeat, eos miris modis diſſentire. *Jung. Polit. ejusdem lib. 3. c. 6. & ſeqq.*

IX.

Præmisſis ita è Philoſophiâ, quoad ſatis eſt inſtituto, argumenti noſtri fundamentis, dignitates nimirum eſſe virtutum præmia, easque non niſi virtutis meritorumque in rempublicam fiduciâ ambiendas, à ſolâ denique majeſtate beneficio juſtitiæ diſtributivæ conferendas, inoffenſo pede ad tractationem ipſam progredimur, facturi in dignisſimo & latè patente de dignitatibus argumento periculum, an cùm aliter non liceat, concisâ ſaltem ejus in certa capita digeſtione eidem ex parte ſatisfacere posſimus. Quo in negotio ita verſabimur, ut acturi ſimus (1) *de vocis homonymia* (2) *Definitione dignitatis*, cujus occaſione nobis de *causâ dignitatum efficiente, impulſivâ*, ob quam petuntur & conferuntur dignitates, nec *non Effectibus* dicendum erit (3) *Diviſionibus* ejuſdem (4) *Modis eam acquirendi, conſervandi & amittendi.*

X.

Dignitatis vox latisſimè patet, & ſignificat jure civili omnem præſtantiam ac eminentiam perſonarum. Quo ſenſu honorarij etiam, quibus nec cingulum, nec privilegia, nec inſignia conferuntur *l. 9. C. de met. & epidem* dignitatis participes eſſe dicuntur *d. l. 9. & l. 5. & 6. C. Theod. de honor. codicil.* & decurionatus dignitatibus accenſetur in *l. 39. C. de decur. l. ſpurij. pr. ff. eod.* qui tamen pasſim alibi muneris & oneris nomine venit *l. 21. l. 31. C. eod.* Vocabulo dignitatis tàm latè accepto ſplendor tàm generis, quàm officij & poteſtatis continetur. Aliquando denotat præeminentiam quidem, ſed cum administratione ſeu officio *l. 1. §. 3. ff. ad SCt. Maced.* Cardin. Tuſchus *Vol. 2. Concluſ. 419,* quemadmodum & honoris vox accipitur in *l. 14. pr. l. 12. ff. de mun. & hon. l. 1. ff. de off. quæſt. ibi: primordium gerendorum honorum.* Et in hoc ſignificatu opponitur muneri *d. l. 14. pr.* & jus prætorium honorarium appellatur *§. 7. Inſt. de Iur. N. G. & Civ.* Tertiò jure civili, & moribus noſtris dignitas ſumitur pro titulo, v. g. clarisſimatu, perfectisſimatu *t. t. de perfectiſs. dignit.*

 Cujac.

Cujac. & Perez. *in tit. de dignit. & tit. ut dignit. ordo ſerv.* Eminentiâ, excellentiâ etc. Chaſſan. *de glor. mundi part. 1. Conſiderat. 66.* quanquam hi tituli vel officiis ſint connexi, vel generi ſplendido accedant, adeoque ad primam vel ſecundam acceptionem referri fortasſis posſint. Aliquando accipitur pro bonâ famâ & illæsâ exiſtimatione *l. un. C. de infam. ibi: integræ dignitatis hominibus.* Beſold. *theſaur. practic. voce* Advocaten. *p. 21.* Nimis latè vocabulum dignitatis extendit Gloſſa *in c. deniq;. diſt. 4.* & Tiraquellus *arg. l. 4. ff. de ventr. in poſſ. mitt.* ad ſervos, qui tamen civitatis, atque adeò dignitatis omnis ſunt incapaces.

XI.

Diverſimodè quoque jure Pontificio dignitas uſurpatur (1) quidem latisſimè, ita ut omnes Clerici dignitatem habere dicantur *c. deniq;. diſt. 4. c. reperiuntur c. 1. q. 1. c. ſi quis. diſt. 51.* (2) Presſiùs pro omni officio clericorum, quod conjunctam habet quandam Iuriſdictionem. Gloſſ. *in c. 1. de conſuet. in 6.* & Panormit. in *c. de multa extr. de præb. & dignit.* Hoc ſenſu Epiſcopis vel maximè competit dignitas, adeò ùt quarta pars jurium Epiſcopalium dignitatis nomine veniat, ut videre eſt ex iis, quæ Amplisſimus Dn. Præſes *in prælectionibus ad Inſtit. Iuris Canonici tit. 9.* docuit (3) Strictisſimè pro minoribus beneficiis, ut Epiſcopatus, aliæque ſuperiores præbendæ non comprehendantur *c. dilectus. de conceſſ. præb.* Theobald Hæning. *de dignit. eccleſ. th. 8.* Duar. *de ſacr. eccleſ. miniſt. lib. 2. c. 6.* Vult. *de feud. cap. 9. n. 125.*

XII.

Dignitas eſt *qualitas perſonæ à Majeſtate ob benè merita tributa, cultum ei ac autoritatem concilians, eandemq; à plebe inhonoratâ per varias immunitates ac privilegia diſcernens.* M. Tullio eſt *autoritas alicuius honeſta cultu, verecundiâ & honore digna lib. 2. de invent.*

XIII.

Qualitatem fecimus genus dignitatis per ea, quæ ex Philoſopho de *Categor.* tradunt Logices doctores. Competit autem dignitas *perſonæ* eique *vel propriè ita* dictæ, vel *myſticæ.* Propriè ita dicta conſideratur vel *ut una certa perſona ſeu individuum,* vel ut *certum genus perſonarum,* veluti Doctorum, Magiſtrorum etc.

etc. Myſtica eſt civitas, collegium, gens, familia &c. Nobiliſſimus Dn. Frantzkius *in Tit. de Conſtit. princ. n. 40. & ſeqq.* Ex quibus evidenter apparet, nos cùm dicimus perſonæ tribui dignitatem, nolle ſublatum diſcrimen inter realem & perſonalem dignitatem; Nec enim realitas hæc id operatur, ut rei proptereà dignitas aſſeratur, ſed ut in ſucceſſores tranſeat, unoque individuo non terminetur, ad eundem planè modum, quo privilegia vel pacta in realia & perſonalia diſtribuuntur *l. 7. §. 8. de pact. l. 68. l. 196. de R. I.* Confer Decium *in d. l. 68.* Quod ſi quis cum Chaſſanæo *de gloriâ mundi* rebus quoque inanimatis dignitatem tranſcripſerit, ei per nos id liceat, dummodò meminerit, tàm laté acceptam vocem una eâque commodâ definitione exhauriri non poſſe.

XIV.

A maieſtate Tertiò dicimus proficiſci dignitates: Quò faciunt ea, quæ præmiſimus *th. 6. & 7. l. 1. ff. d. l. Jul. amb. l. 5. C. de dignit. l. quoties. §. 2. C. ubi ſenat. vel clariß.* M. Anton. Peregr. *de jur. fiſc. lib. 1. de iis qui jura fiſci habent. n. 45.* Nam cùm magiſtratuum conſtitutio nobilis aliqua pars ſit reip. ut latè docet Ariſt. *4. Pol. 15.* & Iuſtinianus *Nov. 15. pr.* ac poteſtate indigeat ad aſſerendam autoritatem, non immeritò inter jura Majeſtatis *d. l. 1. ff. de l. Jul. amb.* Arniſ. *l. 2. de Jur. maj. c. 4.* & inter regalia *c. un. quæ ſint regal.* Sixtin. *lib. 2. de regal. c. 15. n. 1. & 2.* Heig. *part. 1. q. 9. n. 18.* refertur: Adeo uſque, ut Principes, qui aliàs adſtrictam habent poteſtatem, jus tamen dignitates conferendi magno ſibi conatu ſemper vindicârint, ut qui invidiam ob animadverſiones ſuſtinerent, benevolentiam quoque civium ob præmiâ conciliarent; Vt de Polono teſtatur Thuanus *Hiſtor. lib.* LVI. De Daniæ Regibus Pontanus. De Scoto Boëthius *hiſtor. Scot. lib. 12.* Idemque de Imperatore noſtro probant Conſtitutiones atque diplomata varia à Goldaſto *tom. Conſtit. Imperial. p. 305.* relata, & unanimi conſenſu fatentur Dd. juris publici privatique Conſultiſſimi Gail. *1. Obſ. 30. n. 20.* Schneid. *de feud. p. 3. n. 53.* Menoch. *conſil. 32. n. 9. vol. 1.* Arniſ. *2. de Jur. mai. c. 4.* Limn. *de Jur. publ. lib. 2. c. 9.* Reinking. *lib. 2. claſſ. 2. c. 2. n. 20. & 21.*

XV. Con-

XV.

Confert autem Majeſtas dignitates mediatè vel immedia-tè. Mediatè, cùm majoribus magiſtratibus concedit poteſta-tem creandi minores officiales, veluti Impp. Romani præfect. prætorio *Nov. 15. c. 1. §. 1.* Et municipiis permittebant, ut ſib magiſtratus eligerent, qui regiis, ſ. ab Imperatore immediat conſtitutis dignitate cedebant *l. 6. § ult. C. de advoc. div. iud* Gregorius Tholoſ. *Syntagm. jur. univ. lib 18 c. 12. in fin.* quod it dem hodie uſu municipiorum noſtrorum comprobari videmu Ita noſtri quoque Cæſares auſpiciis Principum, & comitum P latinorum miniſterio creant Dd., Magiſtros &c. quanqua diffitendum non ſit, Imperij Principes magiſtratuum & jud cum in ſuis territoriis conſtituendorum jus propter particip tionem nonnullorum majeſtatis jurium in inveſtituris facta Vult. *1. F. 5. n. 7.* Bocer. *de regal. c. 1. n. 5.* liberrimè & proprio jure exercere videri Knichen *de ſubl. territ. iur. c. 1. n. 388.* Bac ad Treutl. *Vol. 1. diſp. 3. th. 6. l. E.* Quinimò propter dictam M jeſtatis communicationem dignitates nonnullas totius rei Germanicæ communes unà cum Imperatore conferunt, & aſſ ſores Cameræ Imperialis conſtituunt *Ord. Cam. part. 1. tit. 2.* Su poteſtate tamen magiſtratuum, quibus adhærent dignitat conſtituendorum non contineri jus nobilitandi verius eſt, contra Vulteium *1. F. 8. n. 10.* Nolden *de nobilit. c. 2. §. 4.* plu moſque alios ab his laudatos defenditur à Schultzio *in ſyno feud. c. 7.* & egregiè nuper à Clariſſimo Viro Ioanne Limna *lib. 6. Iuris publ. c. 1. n. 36. & ſeqq.* Excipe tamen Sereniſſimos A ſtriæ Archiduces qui peculiari privilegio jus in ſuis ditionib nobilitandi conſecuti ſunt Fritz. *de nobil. Concl. 8.* Et Comit Palatinos Rheni Freher. *ad Petr. de Andlo. lib. 2. de imp. Rom. 11.* Cluten. *Syllog. rer. quotid. Concluſ. 24.*

XVI.

Immediatè primarias & communem rem potiſſimu concernentes dignitates diſtribuit ipſa majeſtas Hinc ter pore liberæ Reip. Romanæ majores magiſtratus ab univerſo p pulo creabantur, teſte pro l. Agrariâ Cicerone: *Me*, inquit, *n*

extr

extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus, neq; ſingulæ voces præconum, ſed unâ voce univerſus populus Coſ. declaravit. Idemque jus poſt l. Regiam Impp. uſurpârunt *l. 1. ff. de l. Iul. amb. ibi: in urbe,* noſtrique Cæſares poteſtatem Duces, Principes & comites creandi ſibi ſolis reſervant. Pontifex itidem quantumvis minorum beneficiorum proviſionem Epiſcopis demandari patiatur *c. regenda. 10. q. 1.* majora tamen non niſi accedente ſuâ confirmatione concedi permittit *c. cum cupientes de elect. in 6.* Idem de Galliæ Regibus affirmat Molin. in *Conſuet. Pariſ. §. 1. gloſſ. 5. n. 58.*

XVII.

Hæc ergò quæ diximus argumento ſunt, à Majeſtate proficiſci dignitates, ſive jam ipſa iſto munere defungatur, ſive indultu ejus alij, ac proinde errare Bodinum, qui *lib. 1. de republ. c. 10.* magiſtratuum creationem è numero jurium majeſtatis demit hoc unico argumento, quòd ſubditi interdum magiſtratus ordinent Perez. *in tit. C. de dignit. n. 2.* Neque ferendus eſt Halicarnaſſenſis, qui *lib. 4. hiſt.* Servium putat valdè imminuiſſe regiam potentiam, eò quòd cauſarum privatarum cognitionem magiſtratibus permiſiſſet, cùm tantùm abſit, ut conceſsio iſthæc quicquam detrahat majeſtati, ut potiùs illud fieri interſit regiæ & principalis dignitatis Arniſ. *de Iur. mai. lib. 2. c. 4. n. 11.* Quemadmodum ſenatum Romanum Tiberius monet, *ſe nec ædilis, nec prætoris, nec Conſulis partes ſuſtinere. Maius aliquid & excelſius à Principe poſtulari.* Tacit. *lib. 3. Annal. c. 54.*

XIIX.

Atque hæc hactenus de cauſâ dignitatum efficiente dicta ſunto. Sequuntur verba definitionis: *Ob benè merita* tribui dignitates; Quod ipſum ſuprà *th. 5. & 8.* tactum dilucidiùs explicari meretur, cùm ad merita & majeſtati in concedendis, & candidatis in appetendis dignitatibus apprimè ſit attendendum.

XIX.

Majeſtati, iisque omnibus, qui indultu ejus dignitates conferunt, danda eſt opera, ut dignisſimum quemque ad honores evehant, ne melioris conditionis ſint ſtulti, quàm Viri boni

& ſapientes *l. 4. ff. quod vi aut clam. l. 4. C. de ſtat. & imag. l. 11. ff. mun. & honor. ibi: ſi idonei ſint.* Chaſſan. de *glor. mundi part. 1. Co ſid. 42.* Idque præter primariam illam, ſuprà ex naturâ juſtit diſtributivæ depromtam rationem duabus potisſimum de ca ſis (1) Ne, ſi indignorum hominum miniſterio utatur, qui quid illi deliquerint, Principi imputetur Anton. Perez. *in t C. de agent. in reb. n. 10.* (2) Quòd dignitates indignis promiſc conceſſæ magno cum reip. detrimento vileſcant, uti inter al ex Gallorum dictério cognoſcere licet, qui ob promiſcuam queſtris dignitatis concesſionem, *torquem conchiliatum non vir rum fortium inſigne, ſed beſtiarum collare eſſe dictitârunt.* Thuan. *hiſ lib. 16.* Idque olim multis Principibus vitio datum legimu Conſtantino M., Amm. Marcell. *hiſt. lib. 21.*, & non ita priden Ferdinando II., quod dignitatum longâ ſeriè *in ſtatu Regimin Ferdinandi II.*, & à Limnæo recenſitarum prodigus fuerit: Quan quam non deſint rationes Politicæ, quæ Imperatorem multi bellis implicitum excuſent: Videlicet, quòd recens evecti a dignitates fideleni operam navent benefactoribus, nec ſumti bus ullis parcant, aut pericula defugiant, quò ſplendorem ve terum familiarum meritis ac virtute coæquent. Quicqui verò ejus ſit, peccaverit Ferdinandus nec ne, in formulis ſanè inveſtiturarum eidem *ſtatui regiminis* annexis, & aliorum diplo matum Cæſareorum inſerta videmus longo ordine conſpicu nobilitandi in Imperatorem, vel Imperium Romanum, vel Principatum merita, quod ipſum probandum ſuſceperam, Confer Goldaſt. *Tom. 1. Conſtit. Imperial. p. 305.* & Amplisſimum Dn. Lanſium. *de Principatu inter prov. Europ. p. 636.* Hodiè lege Imperiј publicâ, *Capitulationis nempe Auguſti Imper. Ferdinandi III. Articulo 47.* cautum eſt, *ut nullis patere debeat aditus ad maiores dignitates, niſi benè meritis, & opes ac bona ſuſtinendæ dignitati pari posſidentibus.*

XX.

Exinde jam apparet, quid ſentiendum ſit de quæſtione, an omnes Imperatoris miniſtri, maximi, medioxumi, infimi habeant dignitatem? Cujus affirmativa ita placuit veteribus,

Baldo

Baldo *in c. 1. quis dic. Dux vel March.* Rom. *ſingul. 655.* Angelo *in §. fin. Inſt. de Except.*, ut non contenti dignitatem iis officii aſſeruiſſe, nobilitatem quoque concedant, & Chaſſanæus *de glor. mundi p. 1. Conſid. 66.* dignitatem definire non dubitârit, *quod ſit illud omne, quod à Principe iniungitur.* Verumenimverò utut concedam, multa officia Cæſari exhibita ob præſtantiam Majeſtatis Cæſareæ dignitatem parere, quæ Duci vel Principi præſtita eandem non peperiſſent, de omnibus, etiam abjectis miniſtris id affirmare non auſim. Quæ enim ſunt horum hominum in Cæſarem ac Imperium merita? Etſi quæ ſunt, non erunt ex eorum numero, quæ dignitatem promereri poſſunt, de quibus *th. 22. & ſeqq.* dicemus. Credibile autem eſt, Dd. cùm coqui præſertim faciant mentionem, inſpectores culinarum, non eos qui vile coquendi miniſterium obeunt, intellexiſſe. Quomodò & exaudiendum Mornacium exiſtimo, qui in *l. 18. §. 1. ff. de ædil. ed.* ex Ioanne Tilio *lib. 2. comment. d. reb. Gall.* Archimagirum ſeu magnum *coquum Franciæ, & omnes qui ſunt in Palatino miniſterio nobiles eſſe affirmat.* Egregiè noſtram ſententiam confirmat Lampridius *in vitâ Alex.* cùm ait: *Tot fuiſſe homines in ſingulis officiis, quot neceſſitas poſtularet, ita ut annonas, non* dignitatem *acciperent miniſtri inferiorũ ordinis.* Vid. quoque *l. 2. C. de caſtrenſ. & miniſter.* ubi primæ, ſecundæ & tertiæ formæ miniſtrorum fit mentio, & quæ ibi notant Cujacius, & Perez. *n. 3. 4. 5.*

XXI.

Dictum fuit *th. 18.* reſpectu meritorum non Majeſtatis ſolùm liberalitatem, ſed ambientium quoque appetitum circumſcribi debere. Tiraq. *de nobil. c. 4.* ſi enim virtute & meritis nixi honores ambiant, tùm locum habet illud Ciceronis: *Nihil eſſe in vitâ magnoperè expetendum, niſi laudem & honeſtatem.* Invidiam etiam, virtutis comitem, tutò ſpernere poſſunt, cui illi, qui ad honores per vetita media graſſantur, plerumque ſuccumbunt.

XXII.

Vt autem eò certiùs appareat, quarum potiſſimum rerum ratio in conferendis honoribus haberi debeat, agedum de nonnullis in ſpecie paulò fuſiùs diſſeremus. Extra omnem contro-

verſiam primo loco collocari meretur virtus *l. 1. C. de cond.* [...]
publ. horr. l. ult. C. de ſtat. & imag. Petrus Fritzius *de nobil. th.* [...]
eaque vel intellectualis, cujus beneficio docti conſiliis aſſiſtu[nt]
majeſtati, juventutem in uſum reipubl. formant, & omnia d[i]ſciplinarum genera pervagantur Tiraq. *de nobil. c. 5.* Vel mora[]lis. Vtraque rurſus eſt togata vel militaris; *In duo enim tempor[a]* inquit Ariſtot. *1. Pol. 3.*, *pacis & belli reſp. dividitur* Iuſtin. *in pr[o]œm. Inſt. Nov. 1.* & paſſim alibi. Errant idcircò ſine dubio No[]den *de nobil. c. 3.* Fritz. *de nobil. th. 9.* qui animi ſeu intellect[ua]virtuti militarem opponunt, parum conſiderantes, quod ſtr[e]nuus bello dux prudentiam individuo nexu cum fortitudi[ne] copulare debeat, ſi tanti nominis menſuram implere, & oper[æ] precium facere velit, quia delicta præliorum emendatione[m] non recipiunt, ut Cato ait *apud Vegetium.*

XXIII.

Sed an nobilitas etiam ex iis bonis eſt, quæ homines d[i]gnitatum capaces efficiunt? Quæ quæſtio ut rectè diſcutiatu[r] notandum eſt, nobilitatem per ſe eſſe dignitatem, & nobilibu[s] quanquam aliâ dignitate non fulgentibus, multùm tamen d[e]coris ex ſplendido genere accedere, adeoque illud tantùm [in] quæſtione verſari, an in conferendis officiorum dignitatibu[s] Majeſtas nobilitatem tanquam meritum reſpicere debeat? N[os] diſtinguimus, an nobilitas ſit conjuncta cum virtute nec n[e]. Priori caſu præferimus nobilem ignobili, quanquam & ipſi vi[r]tute prædito *Nov. 10. inf. ibi: Ex patribus quidem bonis. l. un.* §. [] *C. de vet. iur. enucl.* Bald *in l. nemini in fin. C. de adv. div. iud.* Tira[q.] *de nobil. c. 5.* Qui enim duplicem ſuſtinet dignitatem, præſta[n]tior eſt eo, qui unam tantùm habet: Præſertim verò ad hon[o]res aulicos & officia militaria promovendi ſunt, quia præſ[u]mitur *fortes creari fortibus*, & ſemina q. fortitudinis liberis co[n]naſci. Hornei. *lib. 3. Philoſ. mor. c. 1.* Perez. *in tit. de dignit. n. 3* [] Diſſ *Panormit. in c. nunquam. diſt. 56.* pro quo facere videtur i[l]lud Iſocratis; *Solent pleriq; non ita commendare ac venerari na[tos] ex illuſtribus & laudatis Parentibus, ut eos, qui Patrum mores non [i]mitantur, ſed ab illorum vitiis toto pectore ſunt alieni, in epiſt. ad T[i]motheum*

motheum. Poſteriori caſu nobilitas ad collationem dignitatum parum prodeſſe debet *optimo arg. l. 1. C. de condit. in publ. horr.* Qui enim alienâ tantùm virtute nituntur, præſentem rempubl. nec armis, nec conſilio juvare, nec communium honorum participes fieri poſſunt Tiraq. *de nobil. c. 5.* nec enim ſcientiam supplet nobilitas, *ſed doctrina vim promovet inſitam.* Adeoque generis dignitate debent eſſe contenti, quanquam hîc diverſos variarum gentium mores obſervare licet.

XXIV.

De divitiis quid ſtatuendum ſit, itidem non uſque quaque eſt expeditum. Ad nobilitatem certè eas proficere non obſcurè innuit Philoſophus *4. Pol. 8.*, ubi nobilitatem definit, quod ſit ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή. Et videtur enim ille nõ ſolâ virtute æſtimare nobilem, ſed aliquod etiam in divitijs momentum collocare. Verùm enimverò non alia mens eſt Ariſt., quàm ad ſplendorem nobili conciliandum multùm poſſe, imò requiri divitias, quemadmodum generaliter pronunciat *1. Ethic. c. 8.*, felicitatem divitijs indigere, & fieri aut planè non poſſe, aut non facilè, ut is præclaras res agat, cui deſunt facultates. Atque hûc collimant omnia, quæ ex ſapientibus Græcis Romanisq; latè & præclarè proponit Tiraq. *c. 3.* Cœteroquin divitiæ ſeorſim conſideratæ non aperiunt dignitatum portas, ſive ad nobilitatem *arg. l. 3. C. de comm. & mercat.*, ſive ad officia magiſtratuum & judicum deducant *Nov. 8. pr. l. 31. C. de Epiſc. & Cler.* Mart. Laud. *tractatu de dignit. q. 106.* Decian. *reſp. 19. n. 14. Vol. 3.* Richardus Dieter. *de ſummâ imperii majeſtate Concl. 115.* niſi fortè in Oligarchiis, ubi divites ſibi omnia uſurpant, quarum mores hodie imitantur Galli. Anonymus Hiſtoricus *de l' Eſtat de France ſous Francois II. fol. 25.* Caſaubonus ad Sueton. *in Cæſare c. 19.* & (quod mireris) Veneti qui officia ipſamque Patritiatus dignitatem venum exponunt, hoc tamen obſervato utrobique moderamine, ut non niſi virtute vel illuſtri proſapiâ excellentes admittant, atque adeò non tàm divitiarum, quàm alterius meriti rationem habuiſſe videantur. *V. Diſcurſum Polit. de potentiâ Reip. Venetæ adjunctum Contareni de rep. Venet. libello.*

 Per

Per accidens autem contingere poteſt, ut beneficio opum benè & in uſum publicum collocatarum ſummos honores quis adipiſcatur. Ita Coſmus Medices ad Etruriæ Ducatum opibus ſibi viam munivit Guicciard. *lib. 20. hiſt.* & multæ familiæ, quarum divitiis regnum Scotiæ ejecto Bothuelio conſervatum fuit, nobilitate inſignitæ fuerunt, referente Buchanano *in hiſtor. Scot. lib. 19. & 20.* Quod etiamnum in aulis magnatum, & opulentis urbibus quotidiè accidere luce meridianâ clarius eſt.

XXV.

Ad extremum in genere notandum eſt, pro diverſo cujusque reip. ſcopo merita quoque diverſimodè æſtimari, ac dignitates diſtribui ſolere; Quin ut idipſum fiat, intereſſe reipubl., cùm ad conſervationem vel mutationem ejus ingens momentum afferat dignitatum collatio, uti præclarè demonſtrat Ariſt. *4. Pol. 16.*, & nos ductum ejus ſecuti ſuprà ex parte monuimus.

XXVI.

Hucuſque de causâ, ob quam dignitates conferuntur, ſatis, ut opinor, prolixè diſſertatum fuit: Pervenimus jam ad ultima definitionis verba: *Cultum ei ac Autoritatem concilians, eandemq; à plebe inhonoratâ per varias immunitates diſcernens*, quæ nos, ut de effectibus dignitatum in genere nonnihil diſſeramus, hortantur. Erimus autem eò conciſiores, quò copioſiùs hoc argumentum alij magno numero ſunt exſecuti.

XXVII.

Effectus ij quàm maximè ſunt conſpicui *in Autoritatis conſervatione; Ejuſdem tuitione.* Autoritatem conſervat Majeſtas nobilitate generis, vel adminiſtratione reipubl. dignitatem conſecutis, ſi (1) *cultum iis ac reverentiam jubet exhiberi l. 8. C. h. t. l. 2. C. de off. div. ind. l. 3. C. eod. l. ſemper. pr. ff. de jur. immunitat.* quod fit juxta Platonem *l. 6. de LL.* ἔργῳ καὶ ἔπει. *Opere*, veluti aſſurgendo; De viâ cedendo; Caput aperiendo. Sen. *Ep. 64. ſi Coſ. videro, aut prætorem, equo deſiliam, caput aperiam, ſemitâ cedam. Verbis*, Salutando *l. 3. C. de off. div. ind. Nominando*, videlicet ne inferiores judices propter communia, ut vulgo dicitur,

ſtudia

ſtudia celſiores viros fratres appellent *l. 2. C. de off. div. ind.* Quò pertinent convenientes cuique dignitati tituli, quibus denegatis datur actio, ut ſuo loco reddemus.

XXIIX.

Pertinet hûc quoque jus *προεδρίας*, ſeu præcedentiæ, uti vocant, quod antiquis jam temporibus altercationes peperit *l. 1. C. de Conſul. & non ſparg. t. t. Ut dignit. ord. ſerv.* Superioribus autem ſeculis avorum patrumque memoriâ tantâ animorum contentione propugnatum fuit Alb. Crantz. *lib. 6. Saxon. c. 46.* Buxtorf. *ad Aur. Bul. th. 84.* Arum. *Orat. de ſeſſ. prærogat.*, ut publicis imperii conventibus multùm remoræ, bono publico plurimum detrimenti ex litigiis iſtis acceſſerit, quorum veſtigia impreſſa ſunt Receſſibus Imperii *de Anno 1530.* §. Item als ſich im anfang. *De Anno 1542.* §. als ſich auch etzliche Fürſten R. A. *Anno 1544.* §. und nachdem in ſolcher verſamlung. In quæſtionibus autem ſeſſionis prærogativam concernentibus decidendis duo potiſſimum convenit obſervare (1) *Quibus ea competat* (2) *Ritus, quibus prærogativa illa ſolet deſignari.* Prius membrum intricatas & periculoſas continet quæſtiones, quarum fundamenta ſtrictim attingemus, & ſeqq. quatuor concluſionibus, quæ tamen non rarò ob circumſtantiarum & morum diverſitatem officium ſuum perdunt, includemus. 1. Qui dignitate potior eſt, honeſtiore loco aſſidet & ambulat *l. 2. C. ut dign. ord. ſerv.* Natta *Conſil. 576. n. 1. tom. 3.* Beſold. *1. conſil. 1. part. 2. n. 26. & ſeqq.* Vnde nobilis ſimpliciter præfertur ignobili in nullo alio dignitatis gradu conſtituto *arg.* eorum, quæ diximus *th. 23.* Tiraq. *de nobil. c. 20. n. 57. & ſeqq.* 2. Vt gradus dignitatum rectè computentur, inſpiciendum eſt, quid legibus ſit ſancitum, quemadmodum in Imperio noſtro Aurea Bulla *c. 3. 22. 23.* Electoribus ſua ſingulis loca aſſignavit: Vel moribus cujuſcunque regionis receptum *arg. l. 11. ff. de decur. l. 34. ff. de R. I.* Vel præſcriptione introductum Baldus *in l. 4. §. 3. de off. proconſ.* 3. Si per ea, quæ ſecunda concluſ. dicta ſunt, de dignitatum gradu conſtat, tùm aut impares erunt dignitate, qui litigant, aut pares: Priori caſu vim obtinet Concluſio prima: ſi pares præ-

fertur

ſertur ille, qui antiquior *eleg. textu in l. 1. C. de conſul.* Cravetta *Conſil. 489.* Tib. Decian. *Vol. 1. reſp. 21. n. 61.* 4. Si nec de antiquitate vel ætate conſtet, vel aliæ circumſtantiæ rem difficilem reddant, quàm citisſimè omnis controverſia Majeſtatis determinationi in benè conſtitutâ republ. deferenda, vel ſi litigantes ſupremum communem dominum non habeant, ad arbitrium res reducenda fuerit. Verùm inſtituti noſtri ratio, & ſtudium brevitatis non ſinit nos eſſe accuratos; Quapropter lectorem remittimus ad Tiraq. *c. 20. n. 51.* Arum. *de ſeſſ. prærog.* & latè hæc perſequentem Ioan. Limn. *lib. 4. jur. publ. c. ult.* Ritus quibus ſesſionis prærogativa deſignari ſolet, pro regionum diverſitate varij ſunt ac diverſi. Apud nos ferè à dextrâ incedens honoratior habetur eo, qui à ſiniſtris. Apud Italos locus juxta parietem ædium digniori conceditur Nolden. *de nobil. c. 10. §. 1.* Moribus Turcarum, qui ſiniſtrum latus claudit, dignior habetur. Busbeq. *in epiſt. leg. Turc.* Alibi medius, alibi ſupremus locus arguit prærogativam Tholoſ. *de republ. lib. 6. c. 10. n. 12.*

XXIX.

Quod dictum fuit, cultum ac reverentiam deberi dignitate decoratis, ampliatur, ut Pater etiam filio eandem in publico exhibere teneatur. Vnde Fabius filius Coſ. patrem quinquies Conſulem, ſummæ autoritatis ſenem, equo jusſit deſcendere; Cui Pater; *Non ego*, inquit, *ſummum imperium tuum contemſi, ſed experiri volui, an ſcires Conſulem agere: Nec ignoro, quid patriæ venerationi debeatur, verùm publica inſtituta privatâ pietate potiora iudico. Val. Max. lib. 2. c. 2. n. 4.*

XXX.

Ad autoritatem perſonarum dignitate conſpicuarum vindicandam magnoperè facit (2) *Iurium nonnullorum ſingularium conceſſio*, ex quibus nonnulla hoc loco adferemus. Primò, quod non liceat majores magiſtratus, durante adminiſtratione in jus vocare *l. 2. ff. de in ius voc. l. 38. §. ult. ff. ad l. Iul. de adult.* niſi reſpectu eorum, quæ committunt ratione officij *l. 4. C. ad l. Jul. repet.* Secundò Quòd Viri Illuſtres non teneantur ſatiſdare fidejuſſoribus, ſed tantùm juratò promittant *l. quoties 17. C. de dignit.*

dign. quam Iulius Clarus *lib. 5. recept. ſent. §. fin. n. 16.* abrogatam putat conſuetudine contrariâ: verum rectè notatur à Conſultisſimo Dn. Hahnio *in Obſerv. adtit. qui ſatisd. cog. n. 16.* id de uſu Italiæ intelligendum eſſe. Quò facit quod Dd. longo ordine à Noldenio *c. 9. §. 2.* & Fritzio *th. 22.* allegati concludunt, nobili majorem fidem adhibendam, quàm ignobili *arg. l. 25. in fin. C. de nupt. l. 3. pr. ff. de teſt.* & promisſionem nobilis, v. g., bey Fürſtlichen / Gräfflichen / Adelichen trewen comparari juramento, & ſub pœnâ perjurij ſervandam eſſe *c. ad aures. 6. extr. d. his quæ vi metuſv.* Gail. 2. *obſ. 59. n. 2. & ſeqq.* VVehner. *obſ. pract. voc.* bey Glauben vnd trewen *lit. B.* Tertiò quòd Viri Clarisſimi & Senatores in cauſis civilibus non conveniantur, niſi in urbe apud præfectum prætorio, vel præfectum urbi, vel (aſſentiente tamen Principe) magiſtrum officiorum: In provinciâ verò, ubi domicilium habent; aut ubi majorem bonorum partem posſident & asſiduè verſantur *l. 2. C. ubi ſenat. vel clariſſ.* Viri illuſtres autem, etiam criminum rei, non niſi apud Principem vel cognitorem regium, qui tamen omnia ad Principem referre tenetur, accuſari poſſunt *l. 3. pr. & §. 1. C. eod.* Cui non disſimile eſt, quòd officiales Principis in loco, ubi Princeps curiam habet, coram ſolo Principe conveniantur Petr. Heig. *p. 1. q. 25. n. 13. & ſeqq.* Anton. Faber *in Cod. ſuo ubi ſen. vel clariſſ. definit. 1. & 2.* Pertinet huc jus Auſtregarum, ſive exceptio fori à primâ inſtantiâ immediatis pleriſq; Imperii ſtatibus competens, de quo jure vid. *Ordin. Cam. part. 2. tit. 3. & 4.* Schubhart. *in pecul. tr. de Auſtregis.*

XXXI.

Quartò Illuſtres & Spectabiles Viri litigare per Procuratorem debent *l. 25. C. de procur.* id quòd ad ſolos Illuſtres reſtrictum fuit *Auth. Hoc ius ſtabit. C. de procur.* Quin & injuriarum poſtulati vel agentes procuratorem dare poſſunt *l. ult. C. de injur.* Quintò: Dignitas Patriciatus, Epiſcopalis, & in univerſum omnis, quæ à curiâ quem præſtat immunem *Nov. 81. c. 1. in auth. l. ult. C. de decur.* liberat à patriâ poteſtate *l. ult. C. de Conſul. Nov. 81. c. 3.* & conſequenter à vi SCti Macedoniani, *l. 2. & 3. pr. ff. ad SCtm. Maced.* Nihilominus tamen hoc modo patriâ

C poteſta-

poteſtate ſolutis conſervat Imperator jura ſuorum heredum in *Nov. 81. c. 2.*

XXXII.

Accenſetur his Sextò : Quòd Illuſtribus , Clariſſimis & Spectabilibus liceat ad curiam Principis accedere, conceſſione Principis denuò non impetratâ ; Hoc tamen inter memoratas perſonas notabili diſcrimine obſervato, quòd illuſtres non niſi commeatu petito *l. ult. C. h. t.* Clariſſimi verò & ſpectabiles eo non petito ex urbe diſcedere, & res ſuas componere poſſint *l. 15. C. h. t.* Suſpecta enim ſemper Principibus eſt potentiorum miniſtrorum dignitas, præſertim ſi aulâ excedant. Vnde Auguſtus omnibus ſenatoribus edixit, ne quis eorum peregrinaretur extra Italiam injuſſu ſuo Dion. *lib. 52.* Perez. *in tit. de dignit. n. 62.* Inſignis Septimò dignitatis effectus eſt, quòd ea ad *uxores* porrigatur *l. 8. ff. de ſenat. l. 13. C. h. t.* perduretque in viduis *d. l. 13.* niſi impudicè vivant *l. 7. verſ. de cœteris C. de revoc. donat.* Niſi inferioris conditionis homini nupſerint *l. 8. & ult. ff. de ſenat.* quo poſtremo tamen caſu à Principe nonnunquam impetrare ſolent, ut nuptis minoris dignitatis Viro prior dignitas conſervetur *l. ult. pr. ff. de ſenat.* Principe autem non implorato adeò ſequitur conditionem mariti poſterioris, ut mortuo eo prioris dignitatem non recuperet *l. 7. pr. C. de muri leg.* Coſtal. *ad l. 8. ff. de ſenàt. In filios* quoque dignitas ſenatoria tranſmittitur *l. 22. §. 5. ff. ad municip.* ſive adoptivi ſive naturales *l. 5. ff. de ſenat.* Sive ante ſive pòſt Senatoriam Patris dignitatem ſint ſuſcepti *l. 5. de ſenat. l. 11. C. de dignit.* Duar. *lib. 2. diſp. c. 27.* Coraſ. in *l. 5. ff. de ſenat.* Et *filias*, quàmdiu non nupſerint plebeio *l. 8. de ſenat.* Dignitas autem filij ad aſcendentes viciſſim non extenditur Mart. Neapol. *Deciſ. tom. 4. tit. dignitas c. 6.* quo loco tamen à ſenatu Luſitaniæ contrarium deciſum eſſe teſtatur.

XXXIII.

A muneribus octavò perſonalibus longè plurimis immunes ſunt dignitate ſive togatâ, ſive militari conſpicui *l. ult. §. ult. ff. de mun. & hon. l. 6. C. de profeſſ. & med. l. 3. C. de Excuſ. tut.*

Non

Non verò à patrimonialibus *l. 6. C. de mun. patrim. l. 7. C. de S. S. Eccleſ.* Excipitur tamen quoad perſonalia etiam tempus neceſſitatis *c. 2. extr. de immun. eccleſ.* Heig. *p. 1. q. 18. n. 23.* Gail. *2. Obſ. 52. n. 27.* Nonò denique & ultimò mitiùs puniuntur, quàm plebeii *l. 6. pr. ibi: ſi honeſtiore loco natus ſit. ff. ad l. Iul. pec. l. ult. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr. l. 10. pr. ff. de pœn.* ubi ſervi & humiliores quoad hunc effectum comparantur. *Abb. Panormit. in l. illicitas. inf. de off. præſ. ubi ait, nobiles plerumq; deportari, ubi ignobiles capite plectuntur.* V. Carpzov. *prax. crim. p. 3. q. 148. ſubq. 4.* Appoſitè Cicero *lib. 2. Rhetor. Ignoſcendi ratio quæretur ex his locis, ſi plura aut maiora officia, quàm maleficia videbuntur extare; ſi qua virtus aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit:* & Quintilianus *lib. 7. Inſt. Orat. ad pœnarum deprecationem prodeſſe ait nobilitatem, dignitatem, propinquos, comites.*

XXXIV.

Huic tamen ſententiæ è diametro adverſari videtur, quod aliàs in *l. quadam. ff. de pœn.* Interpp. tradunt, & D. Thomas *1. 2. q. 73. art. ult.* quatuor rationibus eruditè fulcit, delicta à dignioribus prudentiâ & ſcientiâ antecellentibus commiſſa graviora eſſe: In quam ſententiam allegari ſolet illud Iuven. *in Sat. 8.*

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò, qui peccat, maior habetur.

Cùm itaque juſtitia commutativa ſeu correctiva exigat, ut gravius delinquentes durioribus pœnis afficiantur *Ariſt. 5. Ethic. 4.* quî fit, quod privilegium mereantur perſonæ dignitate ornatæ? Ad hunc nodum diſſolvendum notandum eſt (1) Crimen non ſemper augeri dignitate peccantis, imò ut plurimum in meliorem partem accipi delictum hominis virtute alioquin & meritis in rempubl. præſtantis, præſumtionem ſaltem pro eo militare Hornei. *lib. 3. Philoſ. mor. c. 13. n. 19.* Fritze *de nobil. th. 22. l. A.* Sed tùm demum ferè cùm in iis peccant, quæ dignitatem concernunt, vel illius adminiſtrationem; Vel quando delictum vergit principaliter in contemtum ipſius dignitatis; Vel quando delinquimus prætextu dignitatis Tiraq. *de*

 nobil.

nobil. c. 20. n. 118. (2) Pœnam interdum mitiorem videri, quæ tamen reverà delicto reſpondet: *Pœnæ enim magnitudo non tantùm nudè ſpectatur, ſed cum reſpectu ad patientem* H. Grot. *lib. 2. de Iur. bel. & pac. c. 20. n. 33.* Ita eadem multa pauperi gravis, lautioris fortunæ homini levis eſt, & ignominia, quam ægerrimè fert honoratus & nobilis Vir, parum onerat animam vilem & abjectam. (3) Nonnunquam boni publici intereſſe, omnia à viris præſtantibus admiſſa ad vivum non reſecari Lipſ. *lib. 2. polit. c. 13. Princeps ſine peſte & pernicie generis humani, non poteſt preſſo pede uſque quaq; adhærere juſtitiæ.* Hæc ſi teneantur, nullo negotio iis, quæ in contrarium allata ſunt, vel afferri poſſunt, occurri poteſt. Conſule de hoc argumento Arniſ. *lib. 1. Pol. 6. 18.* Grot. *cit. loc.* & latè D. Horneium *lib. 3. Phil. mor. 6. 13.*

XXXV.

Vidimus de inſignibus quibuſdam (quæ tamen ob dignitatum diverſitatem omnibus haud ſunt communia) hominum dignitate præſtantium privilegiis, quantùm quidem ſatis eſt nobis ſumma tantùm diffuſisſimæ materiæ capita indicaturis, de cœtero lectorem ad Cœpell. *in tractatu de Imperat. elig. in verbo. dignitas.* Tiraq. *de nobil. c. 20.* Nolden. *de nobil. c. 8. 9. 10. & 11.* remittentes, qui prolixum catalogum privilegiorum ſtudio ſæpè quàm judicio majori congeſtorum ediderunt. Pergimus nunc ad alterum primarium dignitatis effectum, qui conſiſtit *in autoritatis & iurium ſingularium tuitione.*

XXXVI.

Tuemur vero dignitatem ſ. autoritatem illam actionibus jure competentibus, quæ duplicis ſunt generis (1) Cùm quis negat, hunc nobilem eſſe, vel officio dignitatem annexam habente fungi, vel functum eſſe: Et competit actio ex *l. diffamari 5. C. de ingen. & manum.* Gail. *1. Obſ. 10. n. 1.* Mynſing. *5. Obſ. 81.* vel coram Principe cujusque territorii, vel ipſo Cæſare agitanda R. A. *de An. 1594. §. leßlich.* / quâ petit actor ſe pro nobili, patricio &c. declarari, & diffamato perpetuum ſilentium imponi Mund. *ad l. diffamari. c. 5. §. 1. n. 88.* An verò & injuriarum actio dabitur? Ita exiſtimo *arg. l. 11. §. ult. ff. de injur.* præſertim ſi o-

pere

pere ipſo contemtum teſtificetur, veluti inſignia detrahat, imagines deturbet *arg. l. 13. §. 4. ff. de injur.* quo caſu ſi privilegio nobilitatis, dem Warenbrieff inſerta eſt pœna, ad pœnam illam conſequendam agi poteſt Gylm. *præjud. Cam. Imperial. tom. 3. p. 275.* (2) Cùm dignitatem ei quidem competere affirmat, ſed honorem ob dignitatem debitum denegat, vel privilegia ejus infringit, & vilipendit: Quibus caſibus competit primò imploratio officij judicis Gail. *1. Obſ. 21. n. 22.* Deinde, poſitis tamen terminis habilibus interdictum uti poſſidetis, quod pro retinendâ rerum incorporalium poſſesſione utile aliquando eſt VVeſemb. *parat. in tit: uti poſſ. n. 3.* Gylm. *in Symphor. præjud. Camer. tom. 3. tit. injuria.*

XXXVII.

Alterum vindicandæ per arma dignitatis modum valdè alioquin familiarem jura noſtra ferè ignorant; niſi quòd turbatorem honoris confeſtim repelli permittunt *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm.* Vaſq. *illuſtr. controv. c. 18. n. 16.* Altera exceptio eſt in Principibus, ſuperiorem non agnoſcentibus, qui ob imminutionem dignitatis, puta, violationem legatorum, uſurpationem titulorum &c. bello decernere poſſunt, adhibito tamen moderamine *ex cap. 24. lib. 2. H. Grot. de Jur. bel. & pac.* Vid. Halicarnaſſ. *excerpt. legat. 4.* Liv. *lil. 2.* Polyb. *Except. legat. 125. & 134. 2. Sam. 10.*

XXXIIX.

Explicatâ per partes definitione progredimur ad diviſiones dignitatis, ex quibus cùm illa quæ jam de dignitatibus in genere dicta ſunt, tùm quæ de iiſdem ſubſequentur, lucem accipient.

XXXIX.

Dignitatum diviſiones varij varias attulerunt; Omnium autem maximè generalis ea eſt, quâ alia dicitur eſſe generis, alia officii *l. 1. C. de dignit. l. 1. §. 3 ff. ad SCt. Maced.* Simon. Simon. *de verâ nobilit. c. 1. can. 8. Concil. Tolet. 12.* in decretum à Gratiano relatus *c. 21. 32. q. 5. ibi: palatinæ & generoſæ dignitatis* &c. *V. θ. 4. ſuprà*

 XL. Ge-

XL.

Generis dignitas peculiare ſibi nomen vindicavit, & hodie nobilitas appellatur, q. ij cumprimis ſint noſcibiles, famâ ac ſermonibus hominum celebrati Tholoſ. *l.4. de republ. c. 2 n.8.* Vnde non incongruè Ariſtot. *2. Rhet. 15.* nobilitatem definit, *dignitatem quandam maiorum*, & Boëthius *lib. 3. de Conſol. Philoſoph. laudem de meritis Parentum venientem.* Et Thomingius *Conſil. 52. n. 39. ex Bartolo ad l. 1. C. de dignit.* probat, nobilitatem inter dignitates referri. Apud Romanos primis temporibus dignitas generis patriciatus nomine deſignabatur Dionyſ. Halycarn. *lib. 2.* ſoliquе patricij nobiles erant: ſed poſteà invadente magiſtatus patricios plebe alij dicti ſunt nobiles, alij ignobiles, uti poſteà pluribus oſtendemus. De Principe hâc dignitatis ſpecie cùm operoſi & prolixi aliorum commentarij extent, paucula tantùm vel ab aliis neglecta, vel utcunque tacta, diſputationi noſtræ inſeremus, dicturi (1) *De origine & progreſſu nobilitatis* (2) de diviſionibus ejuſdem. De Reliquis capitibus ſtrictim vel potiùs relativè agemus.

XLI.

In primordio ſtatim quæritur, an nobilitas, quanta quanta eſt juri poſitivo cujuſcunque reipubl. debeatur, an verò originem ex naturali vel gentium jure deducat? Noſtra ſuper hâc quæſtione ſententia eſt, juri naturæ omninò eſſe conſentaneum, imò jus iſtud exigere, ut ij, qui virtute & meritis in rempubl. alios antecellunt, præ aliis honore & cultu afficiantur Ariſtot. *3. Pol. 8.* Notanter dico: *Virtute & meritis*: Nam proceritatem corporis, præſtantiam formæ, aliasque fortunæ acceſſiones jus naturæ non multùm attendit. Iuri gentium inſuper acceptum ferimus, quod uſu exigente, & quò magis incitarentur homines ad patranda egregia facinora, poſteris quoque honorem exhibuerint, & ferè præſtantes ſibi familias omnes moratiores populi delegerint, quas colerent & venerarentur. Hoc modo coluerunt Iudæi familias eorum, qui à Moyſe in conſilium Sanhedrin adſciti fuerunt *Exod. 18.* Cunæus *de Rep. Hebr. lib. 1. c. 12.* & inprimis Aaronis poſteros *lib. 2. c. 1.* Græci progeniem Regum ac He-

ac He roum. Romani & Veneti patricias familias Halic. *lib. 2.* Contar. *de Venet. rep. lib. 1.* Nicol. Machiavellus *lib. 1. diſc. de republ. c. 6.* Franci Merovingam & Carolinam; Alij alias; ut dubium adeò non ſit quin gentium jure dignitas etiam generis nitatur, quæ nobilitas appellatur. Quouſque autem extendi cultus ille debeat? an pari veneratione proſequendi filij, agnati, aſcendentesque? Quas potisſimum in conferendâ nobilitate virtutes reſpexerint populi? Quibus privilegiis eandem muniverint, id juris poſitivi ſanctionibus determinatur, quæ ſecundum mores ac inſtituta variarum gentium variant. Diſſ. Bodin. *lib. 3. de rep. c. 8.* & apertiùs Matth. Steph. *de Iuriſdict. lib. 2. part. 1. c. 7. membr. 2. n. 13.* Nolden *de nobil. c. 1. §. 11.* nobilitatem juri gentium incognitam, per *§. 1. Inſt. de iur. perſon. l. 32. ff. de R. I.* contendentes.

XLII.

Diximus de origine nobilitatis in univerſum omnis, operæ precium fortasſis eſt, ut ſingulatim de eadem, quomodo cœperit, & ſeſe habeat in Imperio Romano repetitâ altiùs origine videamus. A Romanâ autem republ. initium faciemus, cùm quòd facem aliquam jus hìc civile præferre nobis posſit, tùm quòd vulgari errore Romanam Monarchiam in imperio noſtro Germanico etiamnum perdurare credatur.

XLIII.

Romulus exemplo Athenienſis civitatis, iſtâ tempeſtate maximè florentis, virtute & genere illuſtres, opibusq; præſtantes à plebe diſcrevit, & Patres appellavit, ut eſſent, ex quibus, tanquam ſeminario perpetuo, ſenatores omni tempore legerentur Dionyſ. *lib. 2. p. mihi 83.* Ex his Patribus prognatos, *Patricios, πατρίδας* dixerunt Dionyſ. *cit. loc.* Alibi nobiles *Liv. lib. 2. Occupant tribuni templum, poſtero die Coſſ.* nobilitasq; *ad impediendam legem in concione conſiſtunt.* Salluſt. *de rep. ordin. Sæpiùs in civitate ſeceſſio fuit, ſemperq; nobilitatis opes diminutæ ſunt, & jus populi amplificatum*; Et Pomponius noſter *in l. 2. §. 43. ff. de orig. jur. turpe eſſe* dixit, *patricio & nobili, ius civitatis, in quâ verſatur, ignorare.* Centum autem ex Patribus iſtis Senatores

tores conſtituit, atque ita nobilisſimi ordinis Senatorii prima fundamenta jecit Halicarn. *cit. loc.* Cùm poſtmodum Sabinorum & aliorum confluxu civium numerus valdè creviſſet, placuit Romulo, ejusque conſorti Tatio, ut duplicaretur numerus Patriciorum, ex iisque centum rurſus in Senatum cooptarentur curiarum ſuffragio *Halic. ibid.* Non acquieverunt hîc Reges Romanorum, ſed ut cives ſuos demererentur, præſtantes quaſdam familias Patriciorum numero inſeruerunt, & nominatim Tarquinius Priſcus centum ex plebeiis, ſpectatæ fortitudinis vel prudentiæ viros, in patriciorum primò, mox etiam in ſenatorium ordinem allegit. Liv. *lib. 1.* Carolus Sigon. *de antiq. iur. civ. Rom. c. 7.*

XLIV.

Ejectis Regibus imminutas à Tarquinio ſuperbo cæde atque exiliis Patriciorum familias, & ſenatum Brutus & Poplicola Coſſ. ex plebe reſtituerunt Dionyſ. *lib. 5.* *Vt enim Reges ſibi,* ait Feſtus, *legebant ſublegebantq́, quos in conſilio publico haberent, ita poſt exactos eos, Conſules & Tribuni militum conſulari poteſtate coniunctiſſimos ſibi quoſque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant.*

XLV.

Magna hucuſque fuerat dignitas patriciorum, quippe cùm eſſent ex Romuli inſtituto Patroni plebis, plebeii clientes Patrum, domo eos deducentes, & pecuniâ, ſi opus foret, in collocandis filiabus adjuvantes Sigon. *lib. 1. c. 7.* Ex iis porrò ſolis iſta ætate ſenatores legebantur; Vnde plebeias familias primò generis nobilitatem ſive patriciatum, poſteà ſenatoriam dignitatem conſecutas fuiſſe teſtis eſt ſæpè laudatus Halicarn. *lib. 2. & 5.* Liv. *lib. 1.* Atque adeò de iſtis temporibus verisſimè prædicatur; *Omnem Senatorem, eſſe Patricium, & generis dignitate fulgere; non verò vice versâ, omnem patricium eſſe ſenatorem, & actu curam reipubl. ſuſcipere.* Daniel Otto *de Iur. publ. Imp. Rom. cap. 3.* Quod cùm non ſatis perſpicuè expresſiſſet Livius *lib. 1. hiſtor.* & centum tantùm Patres à Romulo lectos, eoſdemque Senatores declaratos brevitatis forſan ſtudio commemoraſſet, adeo-

que

que nullum inter patricios & ſenatores diſcrimen feciſſet, impoſitum eſt multis præclaris, & antiquitatum peritis Viris, & in illis Iohanni etiam Coraſio, ut in *tit. ff. de ſenat.* ſcripſerit: *Romulum ex optimatibus centum ſenatores legiſſe, eorumq; filios patricios appellatos fuiſſe*; Cùm tamen non ex his tantummodò centum, ſed ex omnibus Optimatibus prognati ad differentiam plebis patricij vocarentur, uti ex Dionyſio Halicarneſſenſi, diligentisſimo harum rerum ſcriptore modò oſtendimus. Augebat tertiò dignitatem Patriciorum, quòd ſoli haberent auſpicia Liv. *lib. 4. hiſt. c. 6.* avium inſpectionem, obſervationem de cœlo, & tripudij animadverſionem Sigon. *cit. loco.* Quartò ſoli jure imaginum & gentilitatis gaudebant. Quintò privata ſacra peculiaria habebant Hotom. *in Obſerv. ad vet. rit. nupt. c. 28.* Septimò denique veſtitu peculiari utebantur, lunatis calceis & lato clavo, eaque communia omnium patriciorum, non verò peculiaria ſenatorum fuiſſe primis temporibus ornamenta contra eruditisſimum Sigonium præclarè demonſtrat Iohannes Jacobus Draco Cancellarius quondam Altenburgicus ſingulari tractatu *de Orig. & Iur. patric. lib. 1. c. 10. n. 5.* V. & Ioan. Coraſ. *in tit. ff. de ſenat.* Roſin. *lib. 5. Antiq. Rom.* & Lazium *lib. 8. Comment. reip. Rom. in pr.*

XLVI.

Tametſi autem hæc à nobis recenſita privilegia omnibus ex æquo patriciis competebant, maxima tamen eorum erat autoritas, qui ex iis, quos Romulus binis vicibus legit, deſcendebant, unde quoque majorum, reliqui minorum gentium dicebantur Tac. *l. 11. Ann. c. 25. paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellârunt.*

XLVII.

Adhunc ferè modum ſe habuit nobilitas ſive patriciatus apud Romanos per trecentos circiter annos. Cùm autem patres jure ſuo patronatus, uti amat fieri, abuterentur, plebemq; indignis modis irritarent; Hæc verò Horatiâ jam & Hortenſiâ lege extortâ ferociens, & tribunicio furore armata magiſtratus patricios invaſiſſet, & in plerorumque jurium communionem

 venire

venire vellet, fœda omnis dignitatis confuſio irrepſit in remp. Romanam, ita ut ex plebe quoque majores magiſtratus crearentur, teſte Feſto citato à nobis *in th. 44.*, & viciſſim ex patriciis multi ſpe tribuniciæ poteſtatis ad plebem tranſirent, uti luculenter docet Suetonius *in Auguſto* de gente Octaviâ in hunc modum locutus: *Gens Octavia à Tarquinio priſco inter Romanas gentes allecta, mox à S. Tulio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem ſe contulit, ac rurſus magnâ vi per D. Iulium in patriciatum rediit.* Et Plinius, qui L. Minucium Augurinum, hominem patricium ad plebem ſe contuliſſe, & tribunum plebis undecimum factum eſſe ſcribit. Hinc nata diſtinctio patriciorum in nobiles, novos homines & ignobiles. Nobiles erant, qui majorum imagines oſtendere poterant. Novi homines, qui ſuas tantùm; Ignobiles, qui nullas habebant imagines. Sigon. *lib. 2. c. 20.* Vergente ad finem republ. liberâ patricii cœperunt opponi nobilibus, cùm propriè nobiles nuncuparentur ij, qui plebeii cùm eſſent, majores tamen curulibus magiſtratibus honoratos habebant. Aſcon. Pedianus *in Orat. argum. in togâ candidâ.* ut adeò appareat, patriciatum ſemper manſiſſe generis dignitatem à plebe diſcernentem, ſed jus imaginum officiis majoribus plebi poſtmodùm communicatis acceſſiſſe, de quibus, aliisque hûc pertinentibus adeundi ſunt Sigonius *de antiq. iur. civ. Rom.* & Ioh. *Iac. Draco c. 2.*

XLIIX.

C. Iulius Cæſar rerum potitus, ejusque ſucceſſor Auguſtus, & Claudius priſtinæ dignitati ſenatum & patriciorum ordinem reſtituere ſunt anniſi: Blanditi, ut veriſimile eſt, Patribus, & plebem, atque adeò libertatem pauſatim opprimentes. *In numerum patriciorum*, ait Tacitus *lib. 11. Annal. c. 25. aſcivit Claudius vetuſtiſſimum quemq; è Senatu, aut quibus clari Parentes fuerant.* Ex quibus Taciti verbis obiter animadvertere licet, aliquam turbulentis iſtis temporibus nihilominus dignitatem patriciis integram manſiſſe, cùm Claudium non promiſcuè quemvis, ſed vetuſtiſſimos ſenatoriâ dignitate conſpicuos in ordinem iſtum tranſcripſiſſe legamus. Veſpaſianus dein & Titus familias

non-

nonnullas in numerum patriciorum retulerunt, & Flavias de ſe appellârunt, uti videre eſt ex Iulij Capitolini *in Antonino Philoſopho loco*, ubi, *Avus*, ait, *Antonini Annius Verus iterum Coſ. & præfectus urbi, adſcitus in patricios à Principibus Veſpaſiano & Tito Cenſoribus. Claudius autem*, perhibente in vitâ ejus Trebellio Pollione, *gentes Flavias, quæ Veſpaſiani & Titi fuerant, propagavit*, i. e. novis patriciis auxit.

XLIX.

Summâ rerum ad Conſtantinum M. delatâ, & imperio Conſtantinopolim translato, Romæ quidem patriciis familiis honorem adhuc habitum eſſe indubium eſt. Nam ducentis etiam pòſt Conſtantinum annis Symmachus à Theodorico Italiæ tùm temporis Rege occiſus *patricius* appellatur, eoq́ue nomine ſcelus exaggeratur ab Aimoino *lib. 2. c. 1.* & Carolo noſtro M. Hadrianus Papa conſenſu populi Romani antę patriciatus contulit dignitatem, quàm Imperatorem eum inauguraret *c. Hadrianus. diſt. 63.*, moris illius pervetuſti retinens, cujus meminit Spartianus in *Didio Iuliano*: *Inde*, inquit, *habitâ concione militari veſperi in ſenatum venit, totumq́; ſe ſenatui permiſit, factoq́; SCto Imperator eſt appellatus, & Tribuniciam poteſtatem, jus ProConſulare* in patricias familias relatus *meruit*. Quanquam vero abſimile non ſit, Hadrianum Papam non tàm ad veterem patriciatus dignitatem, quæ miſerè jactatâ republ. conciderat vel eviluerat, quàm eam, quæ ab Orientalibus Impp. introducta erat, Imperatoriæ poteſtati proximam reſpexiſſe Draco *lib. 1. c. 1. n. 22.* Ioan. Limn. *tom. 1. Iur. publ. c. 5.*

L.

In Orientis Imperio Conſtantinus ſuprà modum quidem dignitatibus conferendis deditus erat, & nova dignitatum nomina quamplurima excogitabat. Pancirol. *Comment. adnot. Imp. Orient. c. 139.* Vult. *in Comm. ad l. 1. C. ubi ſen. vel clariſs. n. 11.* veruntamen adminiſtrationi reipubl. & officiis eaſdem adjunxit, uti apparet ex *l. 1. C. h. t. in quâ generis claritatem retinere dicitur filia, quæ avum habuit Conſularem, Patrem prætorium virum*, nec ultra quàm ad liberos dignitatem porrexit, ut adeò iſti tempori

accommodari debeat, quod Perezius *in tit. C. de dignit. n. 48.* refert: *Iure Romano nobilitatem geſtis magiſtratibus & muniis publicis acquiri.* Iuſtinianum porrò non multùm ſtuduiſſe familiarum conſervationi, & proinde nec nobilitati, non ſinunt nos dubitare leges ab ipſo latæ, fœminas maſculis vel exęquantes, vel præferentes *l. un. C. de rei uxor. act. l. aſſiduis. 12. C. qui pot. in pign. l. pen. C. de leg. hered. l. 4. C. de lib. prat.* aliæque longè plurimæ. Hinc videas Illuſtrium, Clarisſimorum &c. nomina iis à Principibus tribui, quibus in parte commiſſa erat reip. adminiſtratio Alciat. *lib. 3. diſpunct. c. 4.* Duar, *in tit. ff. de ſenat.* quo de infrà ſuo loco.

LI.

Ita crevit, ita ſenſim interiit generis dignitas in Republ. Romanâ Occidentis atque Orientis. In Germaniâ verò noſtrâ nobilitas priſtinum decorem in hunc uſque diem intaminatum ſervavit, & in iſtam, quâ hodie conſpicua eſt, amplitudinem atque dignitatem excrevit. Priſcis temporibus ætate Taciti Germanicæ gentes in quatuor ordines erant diviſæ, quorum Princeps erat *Nobilium* Tac. *de M. G. c. 25. Liberti non multùm ſupra ſervos ſunt, rarò aliquod momentum in domo, nunquam in civitate: Exceptis iis duntaxat gentibus, quæ regnantur, ibi enim & ſuper ingenuos, & ſuper nobiles aſcendunt; Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.* Ortum autem nobilitas apud Germanos ſoli debet bellicoſitati, quæ, quemadmodum apud alias gentes, ita etiam apud ipſos Virtutis nomine *κατ᾽ ἐξοχὴν* cenſebatur. *Reges ex nobilitate, Duces ex Virtute ſumunt,* ait Tacitus *de mor. Germ. c. 7.* Illudque inſtitutum majorum noſtrorum moribus admodum conveniens fuit, quibus gloria bello quæſita, & finium amplificatio curæ cordique unicè fuit. Indeque eſt, quòd plebejis nondum in nobilium ordinem allectis, virtute tamen bellicâ præſtantibus Ducis dignitas patuerit, quanquam probabile ſit, quod doctisſimus Cluverius *lib. 1. de antiq. German. c. 15.* monet, Duci electo ſimul nobilitatem collatam fuiſſe: Quodque inſuper in conviviis honeſtiori loco aſſederint, docente apud Athenæum *lib. IV. c. 13. Poſidonio. Con-*

viva,

vivæ, ait, *ad cœnam ſi complures conveniant, in orbem conſidunt: In medio autem præſtantiſſimi eſt ſedes, veluti totius cœtus Principis, qui vel bellicâ dexteritate, vel nobilitate generis cæteros anteit.* Alterum autem modum promerendæ nobilitatis, nempe litterarum ſecreta, majores noſtri ignorârunt.

LII.

Maxima autem horum nobilium, præcipuè eorum, qui ex regiis & principum familiis deſcendebant, erat dignatio Tac. *de mor. Germ. c. 13. Inſignis nobilitas, aut magna Patrum merita Principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant*, quæ in eo potisſimum conſiſtit, (1) Quòd ex iis Reges ſive perpetui belli Duces electi fuerint (2) Quòd Principes, Graviones, poſteà Comites dicti, qui certo diſtrictui jus reddebant, ex nobilitate quoque ſumebantur, uti aſſerit ſummus Hiſtoricorum C. Iulius Cæſar *lib. VI. de bel. Gall.* Vid. etiam Ampliſſ. Conring. *diſp. de Duc. & Com. Imper. th. 6.* (3) Quòd connubia cum plebeiis non miſcuerint, ſed nobilitatem ſine maculâ ad poſteros conſtanter tranſmiſerint, teſte Adamo Bremenſi, Scriptore non coætaneo quidem, ſed fide digno, & ſatis accurato, qualis audit Dn. Conringio *lib. 1. de Fin. Imp. Germ. c. 14.* Verba Adami ſunt: *Id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriæ ſortis terminos transferat, ſed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus coniungatur libertæ, & ſervus antillæ.* (4) Quòd in conventibus primum locum occuparint, quemadmodum ex Athenæo *th. præced.* cognovimus.

LIII.

Eundem honorem antiquis familiis, Francis rerum potientibus exhibitum, & lectos ex nobilitate primarios miniſtros fuiſſe commemorat ex Eginharto *in vitâ Caroli*, & Hincmari *epiſt. 3. c. 18.* Chriſtophorus Lehmannus *Chron. Spir. lib. 2. c. 6. §. 12. & 14.* niſi quòd ſuccreſcente tùm litterarum ſtudio in collatione honorum aliqua etiam eruditionis ratio haberi cœperit Lehm. *c. 12.* Carolo M. præſertim Rege plebeios eruditione præſtantes ad dignitates & officia evehente Avent. *lib. 4. hiſt. in fin.* Lehm. *Lib. 3. c. 29.*, cujus exemplo excitati alij Impp., propagatis jam

per univerſam Germaniam cum Chriſtianâ Religione litteris, nobilitatem (puta ſimplicem, alio cum titulo veluti, Principis, Comitis &c. non conjunctam) togatâ pariter ac militari virtute præſtantibus contulerunt Theodor. à Niem. *de privil. & iur. imper.* Philip. Comin. *lib. 3. hiſtor,* Manſit tamen is honos militari virtuti adeò Germanis familiari, ut in feudorum conceſſione (quæ modus eſt tacitè nobilitandi Chaſſan. *in catal. gl. mundi p. 8. Conſid. 15.*) illius ſolius ratio ſuperioribus ſeculis habita fuerit *1. F. 22. 2. F. 21.* Perez. *in tit. C. de dignit. n. 30.* Quod hodie tamen perpetuum non eſſe, apparet cùm ex diſtinctione feudi in *nobile & ignobile* Vult. *de Feud. c. 8.*, tùm ex Praxi hodiernâ, juxta quam ſolâ eruditione nobilitatem conſecutos opimis non rarò feudis inveſtiri videmus. Confer text. *2. F. 3. verſ. perſonam accipientis.* Et quæ ibi tradiderunt Zaſ. *de Feud. p. 5. n. 73.* Roſent. *c. 3. concluſ. 5. l. E.* Hotom. *quæſt. ill. 35.*

LIV.

Auctis deinde in immenſum hominum cupiditatibus, longè plurimi per artes illiberales, quin & illicitas Ludov. Viv. *lib. 2. de fœm. Chriſt.* Philip. Cluver. *lib. 1. de antiq. Germ. c. 15.* ad dignitatem iſthanc aſpirare, ipſique nobiles ſeu belli calamitate ad inopiam redacti, ſeu deſciſcentes à Paternis avitisque virtutibus connubia cum plebeiis jungere cœperunt, quæ res cùm confuſionem nobilis ac plebeii ordinis minaretur, uſu per omnem propemodum Germaniam invaluit, ut octo generationes nobilium ex utroque latere ſine nobilitatis interruptione ad generis dignitatem requirantur: Quam conſuetudinem etiam in ſuperioribus collegiis Cathedraticis, in den hohen Stifftern & judiciis Equeſtribus Sileſiæ obſervari tradit Fritzius *de nobil. concluſ. 20.* Salvâ tamen Cæſaris poteſtate, cujus vi novo etiam homini, & à matre ignobili prognato hujus conſuetudinis gratiam facere poteſt Matth. Steph. *de Iudict. lib. 2. p. 1. c. 1. membr. 2. n. 77. & ſeqq.*

LV.

Hæc de ortu & progreſſu nobilitatis dixiſſe ſufficiat. Reliqua capita ſtrictim attingemus. Nobilitas duplex eſt: Alia titu-

titularis, alia non titularis Limn. *lib. 6. c. 1. in fin.* Titulares vel tranſmittunt unà cum nobilitate titulum ſeu officium, vel non tranſmittunt. Prioris generis ſunt Reges regna ſucceſſione obtinentes, Principes Imperij, Comites, Barones; Quod recipit limitationem ex jure Primogenituræ, quod titulum Regium & officij dignitatem uni tantùm conſervat. Pertinent hûc ſenatores, v.c., Veneti, & ante ſtatimque pòſt ejectos Reges Romani: Poſterioris generis ſunt Imperator, omnesque qui regna electione conſequuntur: Equites etiam in ſpecie ita dicti, de quibus omnibus ad alteram generaliſſimæ diviſionis partem fuſius docebimus. An & Doctores hûc referendi ſint, meritò dubites. Exiſtimo autem, contra communem ſcholam defendi poſſe, Doctores quoad participationem quidem effectuum nobilibus exæquatos eſſe Chaſſ. *p. 1. Conſid. 38.* R. A. *de An. 1500. tit.* Von überflüſſigkeit der Kleider. Cæterum dignitatem generis ſ. nobilitatem per gradum neutiquam conſequi. Cui ſententiæ non refragatur *l. 2. §. fin. ff. de Excuſ. tut. l. 14. §. 1. in fin. ff. eod. l. providendum. 7. C. de poſtul.* quæ in contrarium abripiunt maximam interpretum partem in propriâ cauſſâ errori faciliùs obnoxiam Conrad. von Einſiedel *de Regal. c. 2. n. 140.*

LVI.

Non titulares generis nomen ſibi proprium fecêre, & nobiles vocantur. German. Edelleuthe/ oder die Ritterſchafft/ deductâ vocis appellatione à moribus antiquis, quibus ſoli nobiles militabant, & exercitus ferè equitibus tantùm conſtabant Alciat. *de ſingul. certam. c. 39.* Lanſius *de Ord. Eq. th. 1.* ſuntque *Immediati*, vel *mediati*. *Immediati*, die ReichsRitterſchafft/ ij dicuntur, qui etſi feuda ab aliis Principibus recognoſcunt, pro domino tamen territorij nullum ſtatum habent, ſed immediatè Imperatori parent, de quibus Vid. Buxtorf. *ad A. B. Concluſ. 5.* & inprimis Dn. Limnæum *lib. 6. Iur. publ. c. 3.* Mediati, qui immediatè Ordinibus Imperij, mediatè Imperatori & imperio parent.

LVII.

Nobiles porrò alij ruri degunt, alij civitates incolunt, ſeu ut Ca-

ut Canoniſtæ amant loqui, alij ſunt rurales, alij civitatenſes. Ruri qui degunt in prædiis avitis antiqui moris Germanorum obſervantes eſſe videntur, qui oppida, & circumdata retibus clauſtra declinârunt Amm. Marcell. *hiſt. lib. 16.* & ægrè tandem, irrumpentibus undique barbaris, mœniis ſe valloque cingi paſſi ſunt Cluver. *lib. 1. Antiq. Germ. c. 15.* Qui civitates incolunt, patricij vocantur à Romanis, ut credibile eſt, Patriciis, qui & ipſi ſedem ſuam ac domicilium Romæ fixerant. Quod enim L. Quintium Cincinnatum, aliosque præclariſſimos Viros ruri habitaſſe, & inde ad curiam evocatos fuiſſe legimus, id vel animi cauſsâ, vel ortâ inter plebem & nobilitatem controverſiâ Liv. *hiſt. lib. 2.* vel denique turbulento rerum (æmulis Sulla & Mario, Cæſare & Pompeio) ſtatu, non verò animô ibi commorandi eos feciſſe non patiuntur nos ignorare vel ſolæ Ciceronis ad Atticum Epiſtolæ. Confer Arniſ. *lib. 2. Relect. Polit. c. 7. ſect. 2. n. 56.* quemadmodum & hodie Patricij longè plurimi prædia & villas ruſticas habitant, & aliis quoque de cauſis ſuperioribus ſeculis Argentinâ, Vormatiâ, Brunſvico vel exceſſerunt, vel ejecti ſunt, de quo Conſule D. Dracon. *lib. 3. de Orig. & Iur. patri. c. pen.* Nobis appellantur die Geſchlechter: Vbi minoris ſunt dignationis, die Statt Junckern. & ſunt in multiplici differentiâ: die Adelichen vnd Ehrbaren/ oder Bürgerliche alle Geſchlechter Paulus Hentzner. *in Itinerar. Germ. Gall. & in deſcript. Argentor. p. 9. & ſeqq.* die Rahtsfähige vnd Vnrahtsfähige: Saltz-Junckern &c.

LIIX.

De Origine Patriciorum TransRhenanorum ita habet Lehmannus *lib. 2. Chron. Spir. c. 19. Vrbes incolunt Edlingi, & Frilingi, ſeu Nobiles & Ingenui; Nobiles appellantur, qui à multis retrò ſeculis, nunquam ſervilis condicionis fuerunt. Frilingi duplicis ſunt generis. Alij ex ingenuis Parentibus nati in urbibus, quæ nunquam ſervitutis iugo preſſæ ſub Romanorum & Francorum imperio libertatem tuitæ ſunt: Indeq́ municipiorum deſcendit appellatio, quòd ea à liberis hominibus habitabantur. Hi & nobiles in pari erant dignitate, & voce liberorum utriq́ ſæpe continentur. Nonnulli verò ex Frilingis ſervilis*

vilis quidem conditionis fuerunt, ſed in libertatem vindicati in civium numerum recepti erant. Ex quibus ipſe Lehmannus rerum noſtrarum peritisſimus ſcriptor *lib. 4. c. 22.* concludit, cives omnes liberos fuiſſe, vel ex nobili, vel huic ſimili *patriciâ* familiâ prognatos. CisRhenani, & præſertim Franconiæ ac Saxoniæ Patricij originem ſuam debent Henrico Aucupi, qui exſtirpatis bellis Hunnicis multis nobilibus familiis alias ſurrogavit VVittek. *lib. 1.* Georg. Fabric. *Orig. Sax. lib. 2. p. 122.* & Germaniæ metuens ab Vngarorum irruptione civitatibus muniendis, civibusque ad militiam præparandis ſedulò operam navabat Abb. Vrſperg. VVittek. Sigeb. *ad Ann. 925.* & qui ex civibus præſtabant militari ſcientiâ, eos nobilibus (miniſterialibus) exæquabat Crantz. *lib. 3. Sax. c. 18. Cives ille militares,* ait, *inter aulicos nullo diſcrimine habebat. Nunc, ſi Diis placet, militaribus noſtri temporis æquari nullâ arte poſſunt. Henricus autem Dux, inde Rex, non illa faciebat diſcrimina inter militantes, ſed quemq; pro ſuâ virtute anteferebat.* Poſteà alij quoque virtute, & ſtudio Senatus ad Patriciatus dignitatem pervenerunt longè plurimi, quâ ratione Francofurti Ioannes Fichardus ICtus, & Noribergæ Olhafius, Iohannis Chriſtophori Olhafen proavus in Patriciorum album ſunt relati. Henricus Petreius Herdeſ. *in vit. Fichardi conſiliis eius premiſſâ.* Olhafen *diſcurſ. hiſtor. Polit. de ſenſu l. 2. §. 43. ff. de Or. Iur. in fin.*

LIX.

Quùm autem Patriciorum horum nobilitas & olim in dubium vocata fuerit, uti ex Crantzio modò audivimus, & hodie eâ de re multæ inter illos & rurales controverſiæ agitentur, non præter rem facturi videbimur, ſi de illis duabus quæſtionibus (1) *An patricii reverà ſint nobiles.* (2) *Vtri præferendi,* paucis hoc loco diſputemus. Prioris quæſtionis affirmativam perſuadent ſeqq. rationes (1) Quòd à majeſtate poteſtatem nobilitandi habente nobilibus ſint exæquati ob virtutem primò militarem, quæ omnis nobilitatis Germanicæ primum eſt fundamentum, uti ex iis, quæ prolixè hactenus de ruralis & oppidanæ origine diximus, ad oculum patet. (2) Quòd effectus nobilium

lium participent: Major ipſis quàm plebeiis debeatur reverentia: Dignitatem in poſteros tranſmittant: Ad torneamenta admittantur, quomodo circa annum Chriſti 1451. Albertus Marchio Brandeburgenſis Noribergæ cum aliquot ejus loci patriciis ſociale haſtiludium peregit, & Henrici IV. Imperat. tempore in torneamento Noribergæ tres patricij (agnoſcis hinc vetuſtatem patriciarum familiarum) Haller / Tucher & Holtſchuer palmam reportarunt teſtante Cruſio *lib. 7. Ann. Suevic. p. 3. & alibi.* Idque privilegium patriciis poſteà ademtum reſtituit ijſdem Carolus V. diplomate, cujus verba recenſet Draco *lib. 3. c. 4. n. 44.* Et quanquam iſthoc ex peculiari ipſis privilegio ſit conceſſum, atque adeò ordinario jure competere non videatur, rectè tamen inde evincitur, patricios eſſe nobiles, cùm nulli niſi nobiles ad torneamenta admittantur Limn. *lib. 6. iur. publ. c. 5.* Quòd autem nonnulli patricij excludantur, id noſtram ſententiam minimè convellit; Cùm enim diverſæ ſint dignitatis Patricij, quid mirum, ſi omnes ex æquo omnium nobilitatis privilegiorum participes non fiunt? Ita magiſtratus municipalis habet quidem Idictionem & mixtum imperium, ſed præcipuos actus imperij non exercet *l. 26. ff. ad municip. l. 5. C. de defenſ. civ. l. un. ff. ſi quis ius dic. non obt.* (3) Quòd hodieque circa Vormatiam, & in Franconiâ plurimæ ſuperſint nobiles familiæ, quæ originem à patriciis Vormatienſibus & Norimbergenſibus repetunt Munſter. *lib. 3.* Coſmog. *c. 173.* Planè quia nonnulli patriciorum antiquâ proſapiâ aliis plurimum præſtant, alij ad clavum reipubl. patriæ ſedent, aliis verò plebs ademtâ poteſtate imperat, hinc effectum eſt, ut infimi ordinis patricij cum nobilibus in ſpecie ita dictis comparati tàm auguſtum nomen vix tueantur, quod ipſum tamen de omnibus in univerſum, velut Noribergenſibus, Auguſtanis, Vlmenſibus, Luneburgenſibus affirmare putidum foret & abſurdum.

LX.

Quod ſi nobilitatem iis ſolis aſcripſeris, qui extra urbes degunt, tùm in Romanâ & Athenienſium rebuspubl. fruſtrà quæſiveris generis dignitatem, quin imò noſtrorum quoque nobilium

bilium majores coargues, qui frequentes civitates incoluerunt per ea quæ *th. 58.* dicta ſunt. Moribus autem Gallorum urbes & oppida fugientium Tiraq. *c. 2. n. 61.* opponimus nobiles Italiæ, quorum magna pars in urbibus degit Machiav. *lib. 1. diſcurſ. de Republ. c. 55.* Carolus Paſchal. *lib. 10. Coronar. c. 15.* & Hiſpanorum, apud quos utraque nobilitas in pari pretio eſt Chaſſan. *p. 8. Conſid. 49.* Alteram quæſtionem quod attinet præferimus nobilem (in theſi loquimur, non in hypotheſi) patricio, quòd longè convenientior ſit militari dignitati vita ruri, quàm in urbibus degentium (1) Primò quidem propterea, quòd ruri morantes à civicis muneribus immunes majore gaudeant libertate (2) Quòd ob numerum mercatorum, & plebis inſolentiam minoris æſtimentur nobiles in civitatibus, quàm in pagis, ubi à ruſticis ferè adorantur, iiſque pro lubitu imperitant Tiraq. *de nobil. c. 2. n. 61.*

LXI.

Cauſa efficiens & impulſiva nobilitatis eadem eſt, quæ omnium dignitatum: Effectus quoque plerique reliquis dignitatibus ſunt communes. Iſtud proprium habent nobiles, quòd ad haſtiludia, aliosque ludos equeſtres ſoli admittantur Nolden *de nobil. c. 8. ſ. 1.* quodque nonnulla officia antiquis Germanorum moribus *Capit. Caroli M. t. 143.* ſolis nobilibus patuerint, & etiamnum pateant, veluti directio Cameræ Spirenſis uni ex Principibus, Comitibus vel Baronibus competit. *Ordin. Cam. p. 1. t. 1.* Viſitationi ejuſdem præſunt duo Principes alternatim, quibus tamen hodiè per primarium officialem officio iſthoc defungi licet. *Rec. Imper. de An. 1654.* §. wie nun die überhäuffige. Quòd ad Collegia Superiora Canonicorum ſoli admittantur &c. De modis acquirendi & amittendi nobilitatem, vid. quæ in poſtremo diſputationis hujus capite generaliter dicemus. De modo conſervandi eandem *Vid. th. 56.* Plura qui de hoc argumento noſſe cupit, conſulere poteſt Bonum Curtilium. Hieronymum Oſorium *de nobilitate civili.* Tiraquellum. Sinibaldum Vbaldum. Simonem Simonium. Noldenium, vel quod eodem recidit, P. Fritzium,

LXII.

Pergimus nunc ad alterum primariæ diviſionis membrum, *dignitates nempe eas, quæ officiis cohærent.* Cùm enim fieri non posſit, ut ſumma poteſtas, etſi παντελὴς ſit, tantam reipubl. molem ſola ſuſtineat, alienis humeris, manibus, auribus atque pedibus uti eam oportet Ariſt *3. Pol. 12.* tanquam vicariis, quibus obeat ea, quæ vel ob rerum difficultatem non poteſt, vel ob dignitatis præſtantiam non vult expedire Chriſtoph. Beſoldus *Op. polit. lib. 2. c. 3.* Vnde officiales *l. 1. C. de off. div. jud.* & munera ſeu officia deſcendunt *l. 18. ff. de V. S.* quæ duplicia ſunt: Aut enim iis annexa eſt dignitas, & honores vocantur *l. 14. pr. ff. de mun. & hon.* aut non eſt annexa, & more Romanis uſitato, generis nomen retinet, diciturque munus *d. l. 14. & l. 12. eod.* An verò officium dignitatem habeat conjunctam, primariò à præſtantiâ ejus, & Majeſtatis voluntate; A poſteriori autem ex conſuetudine & hominum æſtimatione dijudicari debet Chaſſan. *p. 1. Conſid. 66. & part. 8. Conſid. 19.* Duar. *de ſacr. eccl. miniſt. lib. 2. c. 6.* Nec quicquam iis. quæ diximus, officit, quod pasſim traditur à ſapientibus. perſonam officio, non verò officium perſonæ dignitatem conciliare, quemadmodum Plut. *in Apophт. Lacon.* refert, Ageſilaum in Gymnicorum ludorum celebratione in loco parum honeſto asſidere juſſum reſpondiſſe: *Benè habet; Oſtendam enim, non loca viris; ſed viros locis dignitatem conciliare.* Et Casſiod. *lib. 6. var. c. 25. Talem eſſe unamquamq; dignitatem, qualis eſt adminiſtrantium voluntas,* pronunciat. Nam hæc & ſi quæ ſunt alia, ſunt autem longè plurima, ſapientum monita aliò non pertinent. quàm dignitatem fundamento virtutis deſtitutam minimi faciendam, proptereaque dignis, qui ſpartam ornare posſint conferendam eſſe. *Non enim virtutibus ex dignitate, ſed ex virtute dignitati honor accedit.* Boëth. *de Conſol. philoſ. lib. 2. proſ. 6.* V. etiam Piccartum *Obſervat. hiſtor. polit. dec. 14. c. 9.*

LXIII.

Hoc itaque certò poſito, demandatione quorundam officiorum perſonæ conciliari dignitatem, conſequens eſt, ut ſingilla-

gillatim dignitates iſtas ediſſeramus. Quoniam verò hoc argumentum latiſſimè patet, & à mediâ Iurisprudentiâ Ius noviſſimum, mores noſtri ab utroque diſſident, ideò nec omnia, nec nihil de ijs ſub diſtinctis tribus capitibus dicemus, videlicet (1.) *De primis Reip. Romanæ & mediæ Iurisprudentiæ temporibus ad Conſtantinum uſque M.* (2.) *De ætate Conſtantini & ſeqq. Impp.* (3.) *Moribus noſtris.*

LXIV.

Dignitates officij duplices ſunt; Eorum, qui res ſacras; Et illorum, qui res humanas curant. Inter eos, qui ſacra Romæ tractabant, dignitate eminet Pontifex Maximus, qui promiſcuè omnium Deorum colendorum & rituum rationem tenuit. Officium ejus Titus Livius *lib. 1. hiſt. c. 20.* prolixè deſcripſit, ex quo ſimul, quantæ Pontifex hic dignationis fuerit, conijci poteſt: Livij verba ita habent: *Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium ex Patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumtus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubiecit, ut eſſet, quò conſultum plebs veniret; Ne quid divini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque aſciſcendo, turbaretur. Nec cæleſtes modo ceremonias, ſed iuſta quoque funebria, placandosque manes ut idem Pontifex edoceret.* V. quoque Alex. ab Alex. *2. Genial. 8.* Cum poſteà Principes animadverterent, multùm momenti ſitum eſſe in Pontificis Maximi dignitate, iſto officio frequenter ipſimet defuncti leguntur Dion. *lib. 53.* Cujus rei veſtigia extant in *l. 8. ff. de relig. & ſumt. fun. l. ult. ut in poſſ. leg. l. 9. de Rer. diviſ.*

LXV.

Huic proximè ſuberant Pontifices quatuor à Numâ itidem creati, & omnibus ſacris curandis præfecti. Poſteà l. Ogulniâ, perhibente *lib. X.* Livio, quatuor, & procedente tempore à Sullâ Dictatore ſeptem Liv. *Epit. lib. 89.* ſunt adjecti. De Pontificum horum dignitate audiamus Dionyſium *lib. 2. Antiq. Rom. p. 132.* accuratè diſſerentem: *Ultima,* inquit, *in ſacris ordinibus à Numà inſtitutis claſſis maxima eſt apud Romanos ſacerdotii, cujus poteſtas eſt*

 amplisſi-

ampliſſima: Hi ab uno ſuorum operum, reficiendo ſcilicet ponte ſublicio, vocantur Pontifices ſummâ autoritate præditi: Nam omnes lites ſacras iudicant inter privatos pariter & magiſtratus, ac ſacrorum miniſtros. Leges etiam ferunt de ſacris, quæ nondum ſcriptis mandata, nec uſu recepta ſunt. In omnes item magiſtratus, quibus ſacrificia & Deorum cultus eſt commiſſus, & in omnes ſacerdotes inquirunt. Rudi etiam vulgo Deorum ac geniorum cultum præmonſtrant & interpretantur: Quodſi quem animadvertant præſcripta ſua contemnere, eum multant pro delicti magnitudine. Hûc etiam facit exordium Tullianæ *pro domo apud Pontifices* orationis: *Cùm multa divinitus, Pontifices, à maioribus noſtris inventa atq; inſtituta ſunt, tùm nihil præclariùs, quàm quòd vos eoſdem & religionibus Deorum immortalium, & ſummæ reip. praeſſe voluerunt, ut ampliſſimi & clariſſimi cives, remp. benè gerendo, religiones ſapienter interpretando rempubl. conſervarent.* Reliqui ſacerdotes, qui aut ſingulis Diis operabantur, veluti Salij, Flamines, Virgines Veſtales &c. aut ſingularium rerum à Diis conceſſarum curam habebant, veluti Arvales, Curiones, Augures &c. in minori dignitate poſiti erant, de quibus Vid. Halicarn. *cit. loc.* & Carolum Sigonium *lib. 1. de antiq. iur. civ. Rom. c. 19.*

LXVI.

Conſtantini verò M. ætate, & ſubſecutis temporibus Pontificis maximi titulum Imperatores reſpuerunt, idque Gratiano primò aſcribitur, referente ex Zoſimo Roſino *lib. 3. Antiq. Rom. c. 2. in fin.* Et collegium Pontificum paganorum ſacris vacantium adultâ jam Chriſtianâ religione Romæ à Theodoſio ſeniore ſublatum, reditus fiſco adjudicatos, omneſque dignitates ſacras concidiſſe autor eſt idem Zoſimus. Ex eo tempore longè alia facies dignitatum ſacrarum eſſe cœpit, cùm Impp. Chriſtiani officia regimini Eccleſiaſtico inſervientia, & ab Apoſtolorum diſcipulis, vel eorundem ſucceſſoribus inventa approbarent, confirmarent, & novis dignitatibus miris modis ornarent. Balduin. *in Comment. de LL. Conſtantini lib. I.* quemadmodum videre eſt ex *Cod. Theodoſ. lib. XmoSexto. & Cod. Iuſtin. tit. de ſumm. Trinit. S. S. Eccleſiis, Epiſcopis & Clericis, Epiſcop. audient. & Nov. 123. 81. aliisq; locis,*

LXVII.

LXVII.

Ante autem, quàm de dignitatibus Eccleſiaſticis diſtinctim dicamus, admonendi ſumus, (1) Clericorum alios *dignitatem*, alios *perſonatum*, alios denique *nudum officium* habere. Dignitatem habent, quibus adminiſtratio rerum ſacrarum cum Idictione eſt commiſſa. Perſonatum, qui non quidem juriſdictione, ſed aliqua tamen prærogativâ gaudent: Diffiteri tamen non poſſumus, perſonatum cum dignitate ſæpenumero Eccleſiarum inſtitutione, vel locorum conſuetudine confundi ſolere Boer. *deciſ. 286. per text. in cap. cum olim. extr. de conſuet.* in quo præcentori dignitas tribuitur. Officium ij habere dicuntur, quibus nuda tantum adminiſtratio competit *c. poſt electionem extr. de conceſſ. præb. ibi: Canonicorum ſeu perſonarum.* Innocent. Cironius *in Paratit. ad tit. extr. de præb. & dign.* (2) Memoriâ teneri debet, dignitatem accipi à nobis heîc in ſignificatione ſecundâ *th. 11.* allatâ, ita ut Epiſcopatus quoque iſto nomine cenſeatur, quemadmodum vocem iſtam in *Nov. 81.* & à Chaſſan. *p. 4. conſid. 24. & ſeqq.* Lancell. *in templo omn. iud.* uſurpari videmus. Tertiò notatu indignum non eſt, in novo Fœdere quidem dignitates officio cuidam in hierarchiâ Eccleſiaſticâ cohærere, nunquam generi: In veteri verò Teſtamento dignitatem ſacerdotalem in certas lineas poſterorum Aaronis tranſiiſſe *Num. cap. 3. & 40.* Cun. *de Rep. Hebr. lib. 2. c. 1.*

LXIIX.

Dignitates Eccleſiaſticæ duplicis ſunt generis: Aliæ enim competunt *clericis non regularibus*, aliæ *regularibus*: Aug. Barboſa *lib. 1. Iur. eccleſ. univ. c. 41. n. 1.* Vult. *de Feud. c. 9. n. 123.* Inter eas, quæ non regularibus (aliàs ſecularibus, quâ voce ad vitandam inter dignitates eccleſiaſticas, & ſeculares confuſionem abſtinere maluimus) competunt, præſtantiâ & antiquitate Princeps eſt *Epiſcopalis*. S. Auguſt. *de civ. Dei. lib. 18. c. 49.* Optat. Milevit. *lib. 2. adverſus Parmenianum.* Tametſi enim primâ ætate Eccleſia Chriſti communi Presbyterorum operâ gubernabatur, uti ex *epiſt. ad Philip. c. 1. verſ. 1 Act. 20. verſ. 28. ad Tit. 1. verſ. 5. 6. 7. 1. ad Tim. 4. verſ. 14.* eruditè demonſtrat Blondellus *in Apolog.*

pro

pro Hieronymi Sententiâ de Epiſcopis & Presbyteris; quam Hieronymi ſententiam ſuo quoque Decreto inſeruit Gratianus *c. olim. idem. diſt. 95.* Nobis tamen, quod ad hoc argumentum noſtrum attinet, iſtud neutiquam adverſatur, cùm præcipua dignitas Epiſcopis demum acceſſerit ex beneficio Principum Chriſtianorum, abolito dudum more regendæ per Presbyteros eccleſiæ. Quid quòd collegium Presbyterorum Epiſcopi poteſtati & officio reſponderit, iidemq; Presbyteri ab Apoſtolis ſæpiùs Epiſcopi vocentur, & ſingula Presbyterorum collegia unum aliquod caput, primo etiam à nato Chriſto ſeculo comiter coluerint per ea, quæ tradit Dn. Conringius *de Conſtit. Epiſc. Germ. th. 19.*

LXIX.

Quoniam verò dignitas hæc officio Epiſcopi arctiſſimè cohæret; nec illa ſine cognitione hujus intelligi aut explicari dextrè poteſt, non aberrabimus à ſcopo noſtro, ſi de Epiſcoporum *officio atque poteſtate, diverſis gradibus, causâ efficiente*, & denique *de meritis* habitâ ordinis brevitatisque ratione paucula diſſeramus.

LXX.

Primis ſanè tribus, uti dictum fuit, ſeculis officium Epiſcopi curæ & ſolicitudinis ærumnoſo iſto tempore pleniſſimum, prædicatione verbi, ſacramentorum adminiſtratione, decenti eorum, quæ ad cultum divinum εὐτάκτως κ̀ εὐσχημόνως peragendum faciunt ordinatione potiſſimum abſolvebatur. Nec alia ipſis jura competiiſſe temerè legas, quàm poteſtatem abſolvendi & excommunicandi ex inſtituto ſervatoris *Matth. 18. verſ. 15. 16. 17. 18.* & Apoſtolorum *1. Cor. 5. verſ. 5. 2. Theſ. 3. verſ. 6.* ipſis conceſſam. Dignitatem quoque non aliam, quam quæ in obedientiâ, veneratione ac dilectione fidelium conſiſtebat *Rom. 10. verſ. 15.* Seculo IV. & ſeqq. Principes Chriſtiani & officium Epiſcopi ampliârunt, factâ iis ſynodi vel bis in anno juxta *Can. 5. Concil. Nicæni*, vel quotannis ſemel habendæ poteſtate *Nov. 123. c. 10.* Quo ex more (ut obiter moneam) manaſſe viſitationes noſtrorum Superintendentum probabiliter concludit Conr. Rittersh. *in Expoſ. nov. p. 1. c. 7. n. 62.* Indultâ Epiſcopali Audientiâ

t. t. C.

t. t. C. de Ep. aud. & *Nov. 127. c. 21.* Adminiſtratione & procuratione rerum eccleſiæ injunctâ *Nov. 131. c. 11.* Conſecratione loci puri & templi in eo erecti *Nov. 5. &c.* & jurium nonnullorum acceſſione magis conſpicuum reddiderunt, v. c. ut non teneatur Epiſcopus ſatiſdare *Nov. 123. c. 22. Mart. Uran. Conſil. 11. n. 58. tom. 1.* ut injuria Epiſcopo illata inſtar criminis publici vindicetur *l. 10. C. de Ep. & cler.* ut nullus judex Epiſcopum teſtimonij dicendi causâ in jus vocare poſsit, ſed domum ad audiendum teſtimonium mittere teneatur *l. 7. C. de Ep. & cler. Nov. 123. c. 7.* Vt non compellatur jurare *l. 25. §. 1. inf. C. de Ep. & cler.* ut ad judicem ſecularem invitus ſine jusſione Principis non pertrahatur, ſeu in causâ civili ſive criminali conveniatur *Nov. 123. c. 8. &c.* ita tamen, ut jurium iſtorum concesſio nequicquam derogaret Majeſtatis civilis tùm circa ſacra, tùm perſonas quoque Eccleſiaſticas autoritati, quam, ſicubi necesſitas flagitavit, magnâ cum poteſtatis ſignificatione exercuit Conſtantinus M. epiſcopalis alioquin dignitatis cultor ac amplificator eximius, ejuſque ſucceſſores, uti ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus, alijsque monumentis de Conſtantino tradit Ampliſſ. Dn. Conring. *diſp. de maieſt. autorit. circa ſacra th. 42. 43. 44.* De alijs, Theodoſio, Honorio, Marciano M. Antonius de Dominis eximij operis *de republ. eccleſ. lib. 6. c. 6. & 7.* De Iuſtiniano noſtro quo minùs dubitemus, faciunt Conſtitutiones ejus plurimæ Cod & Novellis inſertæ, H. Grot. *de imper. ſumm. pot. circa ſacra. c. 3. 7.* & pasſim alibi; Ob quas hodienum malè audit apud Curiam Romanam optimus Imperator. Eandem autoritatem Imperatores Germanici Carolus, Ludovicus, Otto, alij, cùm in alios Italiæ & Germaniæ Epiſcopos, tùm in ipſum Romanorum Præſulem illæſam ad ſucceſſores tranſmiſerunt, qui & ipſi tamen magno honore Epiſcopos & clericos affecerunt. Bene Carolus *Capit. lib. 5. c. 222.* *Vos*, inquit, *Epiſcopos admonemus, ut propter humilitatem noſtram & obedientiam, quam monitis veſtris propter timorem Dei exhibemus, honorem nobis à Deo conceſſum conſervetis: ſicut anteceſſores veſtri noſtris anteceſſoribus fecerunt. Confer Lehm. Chron. Spir. lib. 2. c. 35.*

F LXXI. Ha-

LXXI.

Hactenus itaque & Epiſcopali ordini dignitas, & ſummis poteſtatibus autoritas ſua conſtitit. Inficias tamen ire non poſſumus, indulgentiâ Impp., Conſiliariorum neglectu, interdum etiam intempeſtivo religionis ſtudio jacta etiam iſtis temporibus eſſe fundamenta immenſæ adeò dignitatis, quam cum imminutione Cæſareæ poteſtatis à multis iam ſeculis, accedente Romanorum Præſulum intolerabili faſtu, & licentioſâ omnium jurium uſurpatione, in florentisſimis orbis Chriſtiani provincijs ſuſtinent & exercent. De indulgentiâ Conſtantini memorabile teſtimonium perhibet Theodorus Balſamon *in Schol. ad Nomocan. Photii tit. 8. c. 1.* & nota eſt Anaſtaſii conniventia Coſmæ & Severiani Epiſcoporum inſolentias vindicare ſuperſedentis, quòd Præſes provinciæ iſtius retuliſſet, eos ſine armis & ſanguine ſedibus expelli non poſſe. Evagrius *hiſt. eccleſ. lib. 3. c. 34.* Intempeſtivum quoque religionis ſtudium quemadmodum infregerit jura Principum, multoſque ſubditorum ab obedientiâ & fide erga magiſtratum tranſverſos egerit, plenâ manu docent Germaniæ *in Henrico IV. Friderico II.* Galliarumque *Annales.*

LXXII.

Cœterum an jure vel injuriâ tantam poteſtatem ſint conſecuti Epiſcopi, alterius loci eſt diſpicere. Noſtrum nunc eſt, partes præcipuas iſtius poteſtatis perſtringere, ut exinde ſimul de dignitate & eminentiâ eorum judicari queat. Partes Epiſcopalis poteſtatis alij duas Aug. Barboſ. *iur. Eccleſ. univ. lib. 1. c. 8. n. 11.* & *de off. & pot. Epiſc. p. 1. tit. 1. c. 1. n. 8. & ſeqq.* alij tres Felin. *in c. dilectus. X. de off. ord.* & ſibi non conſtans Barboſa *iur. Eccleſ. univ. lib. 1. c. 11. n. 95.* faciunt, nos quatuor (1) *Ordinem*, ad quem refertur I. Prædicatio verbi divini *c. 15. X. de off. ordin.* quam non pro lubitu, ſed tùm demum alij demandare poſſunt, cùm ob amplas diœceſes, aut adverſam valetudinem, aut graviſſimas occupationes ipſi munere defungi non poſſunt *d. c. 15.* II. Sacramentorum adminiſtratio. III. Poteſtas publicè pœnitentes abſolvendi *c. 1. & 3. 26. q. 6. arg. c. quamvis. diſt. 68.* & impœnitentes

nitentes excommunicandi *c. 2. X. de ſent. excom.* excommunicatione majori vel minori *c. Engeltrudam. 3. q. 4.* quâ poteſtate quomodo debeant uti Epiſcopi, habetur *in c. ipſe 11. q. 3.* IV. Abbatum, Abbatiſſarum, Monialium pòſt profeſſionem Solennis conſecratio *Nov. 5. c. 9. c. presbyter. 26. q. 6. c. 1. X. de ſuppl. neglig. prælat.* Hæc quatuor jura alijs etiam non Epiſcopis vel ex Eccleſiæ inſtitutione, vel conſuetudine, vel delegatione Epiſcopi ſunt communia *c. 15. X. de off. ordin. c. 5. X. de off. Archidiac. c. presbyter. 26. q. 6.* V. Collatio beneficiorum libera, vel ad præſentationem patroni facta, quæ olim quidem Epiſcoporum propria *c. decretum 10. q. 1.* poſteà Epiſcopo & capitulo, interdum ſoli capitulo *c. 4. X. de conceſſ. præb.* quin & alijs Prælatis competere cœpit *c. 3. de Inſtit.* VI. Eccleſiarum propriâ autoritate ædificatio, & alijs, ut eas erigant, permittendi facultas. *c. nemo eccleſiam. de conſecr. diſt. 1. c. 14. verſ. inſuper. X. de privil. & exceſſ. prælat. Nov. 5. c. 1. & Nov. 67. c. 1.* Hûc non incommodè referri poteſt Scholarum in monaſterijs erectio, inſpectio & moderatio *c. de quibuſdam diſt. 37. Capit. Caroli M. Addit. 2. cap. 5.* argumentum quoque præbet *Auth. habita. C. ne fil. pro patre.* VII. Eccleſiarum conſecratio, & pollutarum redintegratio *d. c. quamvis. c. 1. de conſecr. diſt. 1. c. aqua X. de conſecr. eccleſ.* Barboſa *de off. & pot. Epiſc. part. 2. alleg. 27.* Sebaſt. Cæſ. *in relect. de Eccleſ. hierarch. p. 1. diſp. 6. ſ. 3. n. 18.* IIX. ut non extrahantur è templis, alijſque locis religioſis malefici ſine permiſſu Epiſcopi *l. 3. in fin. l. 6. C. de his qui ad eccl. conf. c. inter alia c. fin. X. de imm. eccleſ.* Abbas *in d. c. fin.* IX. Confectio chriſmatis, *c. quamvis. diſt. 68. d. c. presbyter.* quod adhibent Pontificij in Confirmationis, uti illi quidem volunt, ſacramento.

LXXIII.

Altera pars poteſtatis Epiſcopalis vocatur lex Diœceſana. *Gloſſ. in c. dilectus. de off. ordin.* de cujus partibus mirè controvertuntur Canoniſtæ, ſicut videre eſt apud Boterum *de ſynod. p. 1. n. 61. cum ſeqq. & p. 2. n. 4.* Azor. *inſtit. moral. p. 2. lib. 3. c. 32. q. 2.* Nos eò referimus. I. Canonicam obedientiam, ſubjectionem & reverentiam ſummam fidelium in diœceſi viventium *c. conquerente. X. de off. ordin.* Ampliſſ. Dn. Præſes *in prælect. ad tit. 9. Inſt. Lancell.*

 II. Ad-

II. Adminiſtrationem bonorum eccleſiæ *c. præcipimus. 12. q. 1.* Et œconomorum ordinationem, rationumque ab ijs redditarum reviſionem. *Nov. 123. ibi: Rationes ſuæ gubernationis facere. Auth. licet teſtator. C. de Ep. & cler. c. quoniam. 16. q. 7.* Atque hinc DD. Epiſcopum vocant *perpetuum executorem*, ut obſervat Pariſ. *Conſil. 74. n. 71. vol. 3.* Et quanquam rationum inſpectionem ſibi vendicent patroni, eam tamen ipſis haud competere docet Laurent. Ohm. *de Iur. Epiſc, th. 7. lit. H.* III. Viſitationem eccleſiarum *c. 7. X. de ſtat. monach.* quæ nunquam poteſt præſcribi à ſubditis contra Epiſcopum *c. 16. X. de præſcr.* IV. Ius cenſus & cathedratici exigendi, decimas percipiendi Lancellot *Inſtit. lib. 2. t. 20. §. ſed hæc omnis.* V. Ius caſu neceſſitatis clericis imponendi moderatam & charitativam collectam Navar. *Conſil. 3. de Cenſibus.* Menoch. *de arbitr. iud. quæſt. c. 138. n. 8.* VI. Cancellariatus honorem in Academijs, cujus vi Decanis poteſtatem facit creandi Doctores, Licentiatos, Magiſtros. Ita Epiſcopus Baſilienſis Academiæ quoque audit Cancellarius: Merſeburgenſis Lipſienſis, Suerinenſis Academiæ Roſtochienſis ſunt Cancellarij.

LXXIV.

Tertia pars eſt Iuriſdictio, in quâ potiſſimum elucet faſtus, & curioſitas Epiſcoporum falcem ſuam in alienam meſſem immittentium. Olim Audientia dicebatur, vocabulo clericorum ordini ab imperio mundano per Chriſti & Apoſtolorum præcepta ſegregato magis convenienti. Conſiſtit ea I. in omnium inter clericos, laicum & clericum reum cauſarum: ſed & Spiritualium inter laicos dijudicatione *l. 13. C. de Epiſc. aud. c. ſi diligenti. de for. comp.* Gradus mutati circa hunc articulum juris annotavit Rittershuſ. *in Expoſ. Nov. p. 1. c. 7. n. 80. & ſeqq.* II. Excommunicatione, ſuſpenſione, degradatione, ſatisfactionum impoſitione *c. degradatio. de pœn. in 6. c. 3. X. de off. ord. ſeſſ. Concil. Trident. 25. de reformat. c. 3. pr.* quanquam id in caſibus, quos ſibi Pontifex reſervavit, aliquam interdum limitationem patiatur. Barboſa latè *de off. Epiſc. part. 3. alleg. 50. & 51. ferè per tot.* III. Conſtitutionum ſpecialium in diœceſi ſuâ ſacris canonibus non obviantium rogatione, ad quod probandum allegari

ſolet

ſolet. *c. catholica diſt. 11.* Gutierez *Canon. lib. 1. c. 33 n. 22.* IV. Diſpenſatio de irregularitate ad ordines ſuſcipiendos; Inhabilitate ad beneficia & officia conſequenda, & facultate contrahendi matrimonij non obſtantibus impedimentis Canonicis *c. 34. diſt. 50. c. un. de ae. & qual. in 6. c. ſi autem. 36. q. 2.* V. Abſolutio à juramento ad effectum agendi *c. 8. & 15. X. de Iureiur.* quod jus olim Imperatoribus competiit *l. 38. pr. ff. ad municip. l. 1. C. qui milit. poſſ.* & hodieque ipſi, Cameræ Imperiali *O. C. p. 1. tit. 24.* & Principibus Imperij Evangelicis competit: Vnde & inter regalia majora refertur à Borcholt. *in c. un. quæ ſint regal. n. 4. Vult. 1. F. 5. n. 7.*

LXXV.

Quarta pars Epiſcopalis poteſtatis eſt dignitas, quò pertinent I. privilegia, ne ſcilicet teneatur jurare; Ne coram judice ſeculari conveniri debeat; Quod in ſignum matrimonij cum Eccleſiâ ſuâ initi poſſit geſtare annulum, mitram & alia Epiſcopalia ornamenta Lancellot. Conrad. *in templ. omn. iud. lib. 2. c. 5. pr.* II. Tituli, quibus decoratur: Appellatur enim Reverendiſſimus, religioſiſſimus, ſanctiſſimus *Nov. 123. c. 10. & 21. Gloſſ. in c. 1. diſt. 23.* Princeps Eccleſiæ *Gloſſ. 1. in cap. Eccleſiæ. diſt. 95.* Illuſtris. Bartolus *in l. omnes populi de Iuſt. & Iur. q. 4.* Egregius *Gloſſ. in l. adegregias. ff. de Iurei.* Sal terræ, quia condire debet aliorum mores ſapientibus præceptis. Lucerna ſuper candelabrum poſita *Matth. 5.* ut omnibus doctrinâ & pietate præluceat. III. Prærogativa ſeſſionis: Vnde Epiſcopi ſedes in Eccleſiâ eſt eminentiori in loco *c. 10. diſt. 95.* Et Innocentius III. Papa Romanus *in c. ſolicitæ X. de maior. & obed.* graviter reprehendit Imperatorem Conſtantinopolitanum, quòd ejus urbis Patriarchas juxta pedum ſuorum ſcabellum in parte ſiniſtrâ ſedere permitteret, ibidemque multa cumulat, imperium in ſummas poteſtates & faſtum Papalem ſpirantia. IV. Conſecratio & coronatio Imperatorum & Regum Chriſtianorum. Ita Gallum Rhemenſis Hiſpanum Toletanus, Polonum Gneſnenſis inungunt. Imperatorem, quatenus Imperatorem, Epiſcopus Romanus. Regum Germanicorum coronatio cui competat, acriter hodie diſceptatur inter Eminentiſſimos Moguntiæ & Coloniæ Archi-

epiſcopos Electores. V. Bona menſalia, Biſchoffliche Taffelgüter/ quæ plurimum faciunt ad autoritatis Epiſcopalis tuitionem. In Imperio noſtro cùm Epiſcopi poteſtate ſuâ abuterentur, & morum doctrinæque corruptelæ plurimæ in ordinem ſacrum irrepſiſſent, ſeculo ſuperiori cum reſtauratâ religione jura Epiſcopalia ad Principes ipſos & ſtatus Evangelicos rediêre, qui ea hodie, quæ ordinis ſunt, potiſſimum per Superintendentes, quæ juriſdictionis, per conſiſtoria, multa etiam in curijs ſuis expediunt.

LXXVI.

Epiſcopalis dignitatis ex parte hactenus adumbratæ ex humanâ, non verò Chriſti & Apoſtolorum ordinatione, gradus ſunt quatuor (1) Papatus Epiſcopo Romano competens. Cùm enim occidentales eccleſiæ ob celebritatem veteris Romæ *arg. c. 3. diſt. 22. Nov. 11. pr. ibi: Theſſalonicenſis Epiſcopus non ſua autoritate, ſed ſub umbrâ præfecturæ meruit prærogativam*, gentium dominæ, & religionis per pleraſque Imperij Occidentalis plagas propagatæ ſedis ac matricis aliquam prærogativam Epiſcopis iſtis ultrò ceſſiſſent, ut ſcilicet & veteres canones cuſtodirent, & pro gravatis Clericis apud Imperatores intercederent, de quo Vid. M. Anton. de Dominis *lib. 4. de republ. eccleſ. c. 3.* inde dignitas iſta incrementa & Epiſcopi ſpiritus ſumſerunt, effectumque eſt, ut ſenſim caput ſuper omnes latè Epiſcopos extenderent, ipſisque Cæſaribus multùm negotij faceſſerent, prout aut faſtus, & mens maleſana eos inſtigabat, aut indulgentia Cæſarum invitabat. Fatendum certè eſt, nonnullos Pontificum diu ſub pectore verſaſſe monſtra opinionum de dominio orbis univerſali Barboſa *Juris Eccleſ. univ. lib. 1. c. 1. n. 27.* Confirmatione & depoſitione Imperatoris, Regum & Principum, quæ poſtmodum Gregorius VII. de Germanorum, Saxonum præſertim erga ſe ſtudijs certus, magno conatu evomuit, fatalis omni ſummæ poteſtati Pontifex, uti cognoſci inter alia innumera documenta poteſt ex LL. ab ipſo promulgatis, quas collegit Baron. *An. 1076. n. 31.* Hic ergò idem Pontifex dignitatem Papalem ab alijs Epiſcopis Romano ultrò delatam,

latam, ab Imperatoribus ſponte confirmatam, & privilegiis ornatam adſummum faſtigium dignitatis evexit, de quâ, cum toto orbe notiſſima ſit & illuſtriſſima, præſtat nihil heic, quàm pauca dicere.

LXXVII.

Secundus dignitatis Epiſcopalis gradus eſt Patriarchatus ſeu primatus: Vnde Patriarchæ, q. Patrum Principes Iſid. relatus in *c. cleros. verſ. patriarchæ diſt. 21.* P. Gregor. *ſynt. iur. univ. lib. 15. c. 10. pr.* & Primates, q. primi Epiſcoporum, inter quos & Patriarchas latè ſumto vocabulo nulla realis exiſtit differentia Chaſſan. *p. 14. Conſid. 9. pr.* Lancellot. *Inſtit. Iur. Canon. lib. 1. tit. 5.* Origo Patriarcharum eſt antiquiſſima, cùm ipſius officij jam tùm *ſynodi Nicænæ can. 6.* & nominis à Iuſtiniano in inſcriptione *l. 7. C. de ſumm. Trinit.* mentionem fieri videamus, etiamſi iſta diſtinctio ſemper non obſervetur, uti apparet ex *l. 20. C. Theodoſ. d. Epiſc.* & *cler.* ubi Pontifex urbis Romæ Epiſcopus & *d. l. 7. C. de ſumm. Trin.* in quâ Patriarcha Cpolitanus Archiepiſcopus nuncupatur. Conſtituti autem ſunt in civitatibus itidem celebrioribus, uti innuit Anton. Auguſtinus *Epit. iur. Pontif. lib. 2. tit. XI. c. 6.* &, quiſquis ille tandem ſit, autor epiſtolæ Clementis relatæ in *can. 2. diſt. 50.* Conſtantinopoli, Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymis, ut exerceant Iuriſdictionem ſuper omnes Epiſcopos & Archiepiſcopos ſuæ regionis *c. 1. diſt. 80. inf.* ut poſſit ad ipſos etiam omiſſo Epiſcopo appellatio deferri, quomodo explicatur *c. antiqua X. de privil. & exceſſibus prel.* à Lancell. Conrado *in Templ. omn. iud. lib. 2. c. 3. n. 9.* Poſſunt itidem tradere pallium ſuffraganeis ſuis Archiepiſcopis *d. c. antiqua* & præcedunt Cardinales Panormit. *in c. antiqua n. 6.* Hanc tamen ſeſſionis præcedentiam, aliaque privilegia dignitatem Patriarcharum augentia non competere ijs Patriarchis & Primatibus, qui noviter ad numerum quaternarium acceſſerunt, concludit Barboſa *Iur. Eccleſ. lib. 1. c. 7. n. 40. 50.* Reverentia tamen & honor ijs hodieque præ Archiepiſcopis & Epiſcopis in ſpecie ita dictis debetur maximus Lancellot. *in templ. omn. ind. lib. 2. c. 3. n. 4.*

LXXIIX. Ter-

LXXIIX.

Tertius gradus eſt *Archiepiſcopatus.* ArchiEpiſcopi autem ſeu Metropolitani ij ſunt, qui ferè in metropoli cujuſcunque provinciæ reſident, & Epiſcopis iſtius Provinciæ à ſe confirmatis, *c.1. diſt.64.* præſunt, prætereaque omnibus iſtis, imò majoribus privilegijs & honoribus gaudent, quàm Epiſcopi: *Ridiculum enim eſſet, Epiſcopis illa quidem permitti, Archiepiſcopis eadem denegari* ait Lancell. *Inſt. Iur. Canon. lib.1.tit.5.§.pen.* Quartus gradus eſt *Epiſcoporum in ſpecie ſic dictorum.*

LXXIX.

Tertium noſtræ de Epiſcopis tractationis caput eſt, *de causâ efficiente*, circa quam dubium cuipiam videri poſſit, quòd Epiſcopi aliquando à clero & populo electi, procedente quoque tempore à Pontificibus Romanis confirmati fuerint, quum tamen à Majeſtate conferendæ ſint dignitates, per ea quæ ſuprà à nobis tradita ſunt. Verùm tenendum eſt (1) Primis tantùm ſeculis, ante ſcilicet, quâm Chriſto nomen dederunt Imperatores, iſtam eligendi conſuetudinem viguiſſe; Poſteà verò vel ipſos Cæſares Romanos Germanoſq; Epiſcopos ex arbitrio conſtituiſſe, vel à clero populoque electos confirmatione ſuâ approbaſſe, quæ vim addebat electioni parum aliàs efficaci, adeò quidem, ut electis ſine approbatione Epiſcopis etiam Romanis miſſi ſint ad Impp., qui factum excuſarent D. Conring. *de Conſt. Epiſc. th.19.20.21.* Lehman. *Chron. Spir. lib.v. c.31.* Et utut maximè Cæſares conniviſſent ad cleri populique electionem ſine confirmatione factam, dignitas tamen, jura & privilegia Epiſcoporum ab alijs quàm ipſis proficiſci non potuerunt, nec profecta fuerunt, uti tradidimus *th.70.* Ad alterum Reſpondeo, Pontifices injuriâ occupaſſe poteſtatem confirmandi Epiſcopos Cæſaribus debitam, indeque promanaſſe arrogantes illas conſtitutiones in *c.4. & 13. Extrav. Comm. de præb.* quarum vis in Galliis per libertatem eccleſiæ Gallicanæ contra Concilium Tridentinum animosè & peregregiè defenſam ab Illuſtri Viro Iac. Aug. Thuano *hiſtor. lib.* cv. in Germaniâ verò per tranſactionem inter Fridericum III. & Nicolaum V. Papam anno Chriſti 1448. initam infirmata nonnihil fuit. Quicquid verò ſit, obtineat adhuc

adhuc poteſtatem, nec ne. Pontifex, injuriam certè infert ſummis poteſtatibus: Nos autem de jure, non de injuſtitiâ diſputamus.

LXXX.

Ex iis, quæ de dignitate Epiſcopi pro inſtituti noſtri ratione tribus capitibus diximus, intelligi jam nullo negotio poteſt, eum qui eligendus eſt, *meritis & virtutibus* eminere, & probè rationem inire debere, quid valeant humeri, quid ferre recuſent? Quod tàm ſedulò inculcatur à S. Bernhardo *in Epiſt. ad Epiſc. Landon. 24. &* B. Chryſoſtomo *Homil. 3. in Act. c. 1.* aliisque curarum eccleſiaſticarum expertis viris, ut non niſi doctis, & defæcati judicii hominibus aditus ad tantam dignitatem patere debeat. Quem in finem jus Canonicum requirit, ut eligendus natus ſit annos xxx. *c. 7. extr. de elect. & el. pot. Gutierez* Canon. *lib. 1. c. 26. n. 36.* ne opibus aut alias per ſordes ad dignitatem perveniat *t. t. extr. de ſimon.* ut in ſacris ordinibus religiosè vixerit *c. 4. diſt. 60.* & novisſimè, ut ſit Doctor aut Licentiatus in Sacrâ Theologiâ, vel jure Canonico, aut ſaltem publico Academiæ cujuſdam teſtimonio ad alios docendos idoneus judicatus Concil. Trid. *ſeſſ. 22. de Ref. c. 2.* Barboſa *iur. Eccleſ. univ. lib. 1. c. 8. n. 110.* Faciunt hûc *tit. extr. in 6. & in Clement. de vit. & hon. cler.*

LXXXI.

Proxima ab Epiſcopali, eâdem tamen inferior, dignitas eſt Cardinalium, non tantùm, quòd Papalis epiſcopali annumeretur, & Patriarchalis itidem ſub epiſcopali à nobis comprehenſa veteri ævo Cardinalitiæ præſtiterit, ſed quòd ipſi etiam epiſcopi cùm antiquitate, tùm præſtantiâ priſco eccleſiæ inſtituto Cardinalibus ſint ſuperiores, quod luculenter, niſi admodum fallor, apparet ex eo (1) Quia fatentibus ipſiſmet Pontificiis ante Bonifacium VIII., vel ut Iohan. Andr. vult *in c. cum aliquibus, de reſcr. in 6.*, Clementem V. nemo epiſcoporum Cardinalis munus ambiebat, cùm exiſtimarent ſe majorem dignitatem cum minori commutare. Barboſa *iur. eccleſ. univ. lib. 1. c. 3. n. 7.* (2) Ex *c. 6. de cenſib.*, ubi major numerus equorum con-

 ceditur

ceditur Epiſcopo & Archiepiſcopo, quàm Cardinali. (3) Quòd Cardinalis poſſit criminis damnari per teſtes XLIV. Epiſcopus verò per teſtes 72. *c. præſul. 2. & c. nullam 3. 11. q. 4.* Hoſtienſis *in c. licet univerſis. X. de teſtibus.* Menoch. *de præſumt. lib. 2. præſumt. 80. n. 23.* fundantes ſe in Synodo quadam Romæ *Anno Christi 324.* coactâ, de quâ Vid. Baron. *Anno 324. n. 121. & ſeqq.* Innoc. Ciron. *lib. 4. obſ. Iur. Canon. cap. 5.* Cardinalium nomen & dignitas diu Eccleſiæ incognita fuit, cùm Clerus & populus Pontifices eligerent, Imperatores verò eoſdem confirmarent: Legebantur autem primis temporibus ex Presbyteris & diaconis eccleſiæ Romanæ *c. eccleſia. 16. q. 1.* & proinde alio honore non mactabantur, quàm aliarum eccleſiarum Archidiaconi & Archipresbyteri, qui Epiſcopis ſuis â conſiliis erant. Idque ipſum non obſcurè indigitatur ab Ignatio relato â M. Antonio de Dominis *lib. 1. de rep. eccleſ. c. 12. n. 8.* qui ita *ad Trallianos* ſcribit: *Quid eſt Epiſcopus, niſi qui Principatum omnem & poteſtatem ſuprà omnes obtinet, ut obtinere homo poteſt, qui eſt pro viribus Christi Dei imitator? Quid verò Presbyterium, niſi collegium ſacrum, Conſiliarii & Confeſſores Epiſcopi? Quid item diaconi, niſi imitatores virtutum Angelicarum.* Vid. etiam Baronium *tom. 2. Ann. 253. n. 95.* quo loco Cardinales iſtius temporis Epiſcopis minores fuiſſe docet. Sed quemadmodum Epiſcopus Romanus imperium ſibi cum tempore in reliquas eccleſias arrogavit & obtinuit, ita Conſiliariorum ſuorum honoribus adeò velificatus fuit Machiav. *lib. 1. hiſt. Florent.*, ut dignitatem & poteſtatem hodie à Pontificali proximam ſint conſecuti *arg. c. venerabilem. verſ. rationibus. extr. qui filii ſint legit.* Cardin. Tuſchus *lit. C. Concluſ. 100. n. 3.* Rom. *conſil. 498. n. 11.* cui certatim ab Epiſcopis & Archiepiſcopis inhiatur. Diſtinguunt tamen nonnulli, ut quoad ordinem Cardinalis Presbyter vel Diaconus Epiſcopo ſit inferior, quoad reliquas officij partes ſuperior. Felin. *in rubr. de maior. & obed. n. 9* Bart. *in l. 1. §. ſi quis in appellatione. ff. de appell.* verſ. ſimile. De Cardinalium dignitate latè agit Lancellot. *in templ. omn. iud. lib. 2. c. 2.* Anton. Auguſt. *Epit. iur. Pontif. lib. 1. tit. XXII. & ſeqq.*

LXXXII.

Tertio nunc ſe loco nobis offert vicarius, qui abſque dubio di-

bio di-

bio dignitatem habet Felin. *in c. quoniam abbas. extr. de off. deleg.* i. e. adminiſtrationem rerum ſacrarum cum juriſdictione conjunctam Lancellot. *d. tract. lib. 2. c. 6.* §. *2. n. 12.* & duplex eſt, alius natus, alius ſpecialiter electus. Hic iterum triplex eſt: Aut enim conſtituitur in temporalibus & ſpiritualibus ſimul, & generalis dicitur: Aut in Spiritualibus tantùm, & vicarius *κατ' ἐξοχὴν* appellatur: Aut in temporalibus tantùm, & dicitur officialis *c. 2. & 3. h. t. in 6.* Repræſentat autem Epiſcopum, & ea, quæ Epiſcopus ex officio præſtare tenetur, exequi autem certis de cauſſis non poteſt, nomine ejus gerit, & ex ſententiâ Felini in *Rubr. de mai. & obed.* præjudicio Cardinalium firmatâ Archidiaconum præcedit, cum quo committimus Azorium *Inſt. moral. p. 2. lib. 3. c. 14. q. 5.* ſimilisque propemodum eſt mandatario juriſdictionis. Nati & perpetui Epiſcopi vicarij duo ſunt. Quoad ea quidem, quæ ad l. diœceſanam & juriſdictionem pertinent Archidiaconus *c. 1. extr. de off. Archid.* Azor. *inſt. moral. p. 2. lib. 3. c. 14.* Anton. Cuch. *inſtit. lib. 2 tit. 9. n. 17.* cujus officium & dignitas à Pontifice latè deſcribitur in *c. adhac de off. archidiac.* quo loco oculus Epiſcopi convenienti vocabulo appellatur. Differt à vicario, quod Archidiaconi officium dignitati iſti tàm firmiter ſit annexum, ut nec ad nutum epiſcopi officio amoveri, nec dignitas ab officio avelli queat *c. 3. de off. vicar.*, quæ in vicario aliter ſe habent Barboſa *iur. eccleſ. univ. lib. 1. c. 24. n. 36.* Secundò vicarij officium Epiſcopi officio eſt ſuccedaneum, & tum ſe exſerit, cùm Epiſcopus aliis occupationibus impeditur. Archidiaconi verò officium ſeparatum eſt, nec permittitur Epiſcopo, ut ea quæ Archidiacono incumbunt, expediat: Vnde ab Archidiacono ad Epiſcopum, à vicario verò, ad Archiepiſcopum procedit appellatio *c. 3 de appell. in 6.* more ex principiis juris civilis hauſto, quod diſponit, ut à minoribus magiſtratibus majores *l. 2. ff. quis & à quo. l. 21 pr. de appell.* non verò à mandatario juriſdictionis is qui mandavit, ſed eo ſuperior appelletur *l. 1. ff. quis & à quo.* Tertiò vicarius vicarium ſubſtituere non poteſt. *c. 4. de off. vic.* Sed Archidiaconus coadjutorem aſſumere poteſt *c. ult. ext. de cler. ægrot.* Natus quoque, & ipſo jure

 vica-

vicarius Epiſcopi eorum reſpectu, quæ ad ordinem referuntur eſt Archipresbyter Bald. *conſil. 161. n 11.* Tuſchus *tom. 1. lit. A. Concluſ. 485.* Azor. *inſt. moral. p. 2. lib. 3. c. 15.* & proximam ab Archidiacono obtinet dignitatem curam animarum annexam habentem Gutierrez. *Canon. quæſt. lib. 1. c. 27. n. 24. & ſeqq.* Multorum tamen locorum conſuetudine Archipresbyter præcedit archidiaconum Tuſchus *lit. A. Concluſ. 482. n. 23.* quoad ordinem verò etiam jure communi eo potior eſt. Archipresbyteri duplicis ſunt generis, urbani & rurales *c. 3. & 4. de off.* Archipresb. de quorum officio, differentia atque dignitate conſuli poteſt Lancell. *in templ. omn. iud. lib. 2. c. 11.*

LXXXIII.

Hos excipiunt Presbyteri ex antiquisſimo Chriſti & Apoſtolorum inſtituto verbum Dei docentes, ſacramenta adminiſtrantes, & omnia ea, quæ Epiſcopo incumbunt, vel abſque permiſſu ejus *c. 1. diſt. 28. verſ. ad presbyterum*, vel eo conſentiente *c. 2. 26. q. 6.* exercentes, exceptis paucis, quorum exercitium ſibi ſolis Epiſcopi reſervarunt *c. quamvis. diſt. 68.* Primicerius quoque Diaconorum pòſt archidiaconum primus, tametſi ei perſonatum tantummodò tribuat Cironius *Parat. in tit. de off. primic.* eccleſiarum tamen conſuetudine dignitatem habere dicitur *arg. c. cùm olim ext. de conſuet.* Barboſa *lib. 1. c. 28. n. 9.* Idem ſentiendum eſt de Cuſtode, Sacriſtâ, Theſaurario &c. quibus interdum negant, interdum tribuunt dignitatem Iuris Canonici Dd., ſecuti capp. juris iſtius nonnunquam jus commune, interdum verò conſuetudines eccleſiarum referentia. Vid. Azor. *inſt. mor. p. 2. lib. 3. c. cum acceſſiſſet. de conſtit. c. de multa. extr. de preb.* Ciron. *in parat. de off. Cuſtod. in pr. & tit. de preb.* De quibus aliisque hûc pertinentibus non attinet fortasſis plura dicere, ſi iſtud modò monuerimus, dignitatibus non accenſeri canonicatum. Nam etſi perſonatus, quò de jure communi refertur Sacriſta, Cuſtos, Theſaurarius conſuetudine eccleſiarum confundi cum dignitate ſolet, canonicatus tamen ab utroque diſtinguitur in *c. dudum 22. de elect.* nudisque officiis annumeratur. Labitur itaque Vulteius *lib. 1. de feud. c. 9. n. 125.* cathredalium eccleſia-

cleſiarum Canonicos inter dignitate præditos referens, nec quidquam pro ejus ſententiâ facit *c. ſtatutum. de reſcr. in 6.* in quo, dum per particulam *aut* disjunguntur Canonici à clericis dignitatem vel perſonatum habentibus, noſtra potiùs ſententia ſtabilitur. An verò Decano Collegij dignitas competat, acriùs inter Canoniſtas diſceptatur; Nos principiis in *th. 67.* inſiſtentes jure communi Canonico dignitatem ei competere negamus, quùm non habeat adminiſtrationem cum juriſdictione Panormit. in *c. poſt electionem. de conceſſ. præb. n. 9.* Card. Tuſchus *tom 2. l. D. Concluſ. 41. n. 22.* Notanter dico, *iure communi*, quo perſonatus, officia, & dignitates diſcernuntur, nam conſuetudine ferè totius Galliæ, Hiſpaniæ & Luſitaniæ, teſte Barbosâ *lib. 1. Iur. eccleſ. univ. c. 26.* juriſdictionem in clericos, & conſequenter dignitatem obtinet, cujus conſuetudinis, & confuſionis inter iſta beneficia veſtigia extant in *c. ad aures. extr. de reſcript.* per quod nonnulli Decano dignitatem aſſerunt Boer. *deciſ. 286. n. 9.* Pacian *d. probat. lib. 2. cap. 27. n. 76.* Planè cùm decani officio ut plurimum fungantur Archipresbyteri *c. adhæc. de off. archidiac.* mirum non eſt, ſi eo reſpectu ipſi dignitas in jure aſcribatur Barboſa *de Canon. & dignit. c. 4. n. 31. 32.* P. Gregor. *ſyntagm. iur. univ. lib. 15. c. 20. n. 12.* & hùc reſpexiſſe Chaſſaneum exiſtimo, qui *p. 4. Conſid. 37.* decanatum inter primarias dignitates recenſet.

LXXXIV.

Poſteaquàm de dignitatibus non regularibus paulò quàm initiò conſtitueramus, fuſiùs egimus, liceat nunc mihi de regularibus dicturo eſſe breviori. Principiò autem notandum eſt, ex primævâ eccleſiæ inſtitutione omnes clericos appellatos fuiſſe regulares ſeu canonicos vel ob canonem, quo omnis ordo eccleſiaſticus continetur *can. 24. ſynod. Laodic.*, ſeu regulam eccleſiaſticam *c. 3. diſt. 32.* Vel quia initio naſcentis eccleſiæ ſingulis clericis aliqua portio agri Dominici colenda asſignabatur, quæ Canon vocatur â D. Paulo *2. Cor. 10. verſ. 13.* Præterea omnes clerici aſtringebant ſe tùm temporis regulæ communionis fortunarum, communis obedientiæ & dilectio-

nis; ſed poſteà inſuperhabito communitatis voto, proventus inter ſe diviſerunt, & alij ſeculares à laxiori vitâ, alij regulares à ſtrictiori regulâ & votis obedientiæ, paupertatis & caſtitatis dici cœperunt Innoc. Cironius *in tit. de regul. & tranſeunt. ad relig.* Regulares iterum cum Vultejo *lib. 1. de feud. c. 9. n. 125.* partior in illos, qui præter vota enumerata alijs arctiſſimis regulis devinciuntur, & illos, qui præter vota regulas habent laxiores *c. quod Dei timorem. ext. de ſtat. monach.* Ad priorem claſſem refero Monachos, *v. c.*, Franciſci, Dominici, & Moniales. Ad poſteriorem Canonicos regulares *arg. rubr. de ſtat. monach. & canon. regul.* Barboſa *de Canon. & dignit. c. 1. n. 4. & ſeqq.* Equites item ordinis Iohannitarum, Teutonici, Templariorum, Cruciferorum, S. Stephani &c.

LXXXV.

Monachiſmus ipſe, *quanquam commendet Deo ad eum venientem hominem, & omnem humanam maculam detergat, & monachum purum declaret, rationali naturæ decentem, & plurima ſecundum mentem operantem efficiat,* uti declamat Iuſtinianus *Nov. 5. pr.* dignitatibus tamen neutiquam accenſetur, cùm monachi ſervis æquiparentur, & argumentum â ſervo ad monachum benè procedat, docente Everhardo *in Top. p. 187.* Excluduntur quoque Canonici regulares argumento eorum, quæ *th. 83.* generaliter dicta ſunt. An Equites dignitate officij gaudeant, infrà videbimus.

LXXXVI.

Principem inter regularium clericorum dignitates locum ſibi vendicat Abbatia, proximamq; ab epiſcopali dignitatem Abbates obtinere multorum eſt opinio Panormitani *in c. 2. n. 2. extr. de iudic.* Felini *in c. meminimus. de accuſat. per text. notabilem in c. ſi quis deinceps. 16. q. 7. & c. 15. de off. iud. deleg. in 6.* id quod de iis, qui à jurisdictione epiſcopi ſunt exemti, conceſſerim; Non exemtis verò vicarium & Coadjutorem Abbati præferri exiſtimo cum Lancellotto *in templ omn. iud. lib. 2. c. 7. n. 22.* Conſiſtit autem dignitas Abbatis potiſſimum 1. in veneratione & cultu, qui ipſi à monachis debetur 2. Vſurpatione epiſcopa-

ſcopalium inſignium, mitræ, baculi paſtoralis & annuli, quæ tamen non geſtat beneficio juris communis Canonici, ſed ſpeciali Pontificis conceſsione *c. ut apoſtolicæ. de privil. in 6.* vel ecclesiarum & locorum conſuetudine Barboſa *lib. 1. iur. eccleſ. univ. c. 17. n. 56. 57.* 3. Imperio & Iuriſdictione in monachos, quæ in Abbatibus exemtis Epiſcoporum in clericos poteſtati abſimilis non eſt *c. nullam. 18. q. 2. c. Ioannes. ext. de regul.* Quòd autem Abbates nonnulli, veluti Fuldenſis, Hirſchfeldenſis, VVerdinenſis aliis quoque præter monachos imperent, id habent vi inveſtituræ Cæſareæ, & principalis dignitatis in eos collatæ; Quâ ratione efficitur, ut abbates & epiſcopi Germaniæ majori, quàm alij, dignitate decorentur. 4. In viſitatione monaſteriorum ſibi ſubditorum Azor. *inſtit. mor. p. 2. lib. 3. c. 40. q. 9.* 5. Diſpenſatione certis caſibus licitâ, veluti in jejuniis & delectu ciborum *c. non mediocriter. c. carnem. c. nunquam. de conſecr. diſt. 5. c. cùm ad monaſterium verſ. quanquam. extr. de ſtat. mon.* ut novitius ante legitimam ætatem ad ſacros ordines promoveri poſſit *c. monachus. diſt. 77.* &c. Abbatiſſæ quoad dignitatem quidem abbatibus comparantur, Abbas *in c. 5. n. fin. de ſtat. mon.* ratione adminiſtrationis, & juriſdictionis in moniales Lancellot. *in templ. omn. iud. lib. 2. c. 7. n. 45.* Quod in quibuſdam Germaniæ noſtræ Abbatiis, quibus ex Electorum & Principum familiis ortæ tantùm admoventur, dubio caret. Ea tamen, quæ fœminino ſexui minus conveniunt, vel per alios, ut viſitationes monaſteriorum *c. 1. de ſtat. regul. in 6.* vel planè non poſſunt expedire, videlicet excommunicare, à peccatis abſolvere *c. cùm dilecta. de conf. util. vel in ut.* Dec. *in l. fœmina ff. de R. I. n. 10.*

LXXXVII.

Priores clauſtrales ſeu regulares non niſi latè accepto dignitatis vocâbulo heîc recenſeri debent, cùm non juriſdictionem, ſed tantùm officium cum aliquâ adminiſtratione gerant Iaſon *Conſil. 77. n. 5. Vol. 1.* quod multorum locorum conſuetudine correctum eſt: Fallit etiam in Priore Conventuali, juriſdictionis in Conventuales, largæ poteſtatis, atque adeò dignitatis

tatis participe Chaſſan. *p. 4. conſid. 36.* Idem ferè de Præpoſitis ſentiendum eſt, qui alibi abbatum officio funguntur, & dignitatem ſuſtinent ſic ſatis amplam Barb. *iur. eccl. univ. lib. 1. c. 45. n. ult.* alibi collegiatis eccleſiis præſunt, & eadem, quâ Priores ſeculares, poteſtate gaudent Lancellot. *lib. 2. c. 10.*, alibi Abbatibus ſubſunt, ut adeò nemo mirari debeat, quòd canoniſtæ de dignitate Prioratus, Præpoſituræ aliisq; tàm diverſimodè loquantur, & nos argumento nobis parum profuturo diutiùs non immoremur.

LXXXIIX.

Coronidis loco quæritur, an Equites ordinis Iohannitarum, & Teutonici dignitate officij eccleſiaſtici gaudeant, nec ne? Et extra omnem quidem controverſiam poſitum eſt, dignitate generis equites iſtos conſpicuos eſſe, cùm in Equeſtrem ordinem nemo niſi nobili loco natus recipiatur, & Tiraquellus exiſtimet, eum qui equeſtri dignitate ob virtutem decoratur, tacitè quoque nobilem fieri *de nobil. c. 8. n. 13.* De equitum Ordinis Iohannitarum nobilitate ſigillatim conſtat ex Statutis Ordinis relatis â Megiſero von dreyfachem Ritterſtandt. *part. 2. c. 3. p. 92. ibi*: Aber nur denen mitgetheilet wird/ welchen es des alten Stammes und edlen Geſchlechts halben gebühret. Idem ab equitibus Ordinis Teutonici requiri affirmat Limn. *lib. 6. iur. publ. c. 2. n. 58.* Similiter & illud certum eſt, Magiſtros Ordinum inſigni dignitate eminere *arg. rubr. C. de off. mag. mil.* jurisdictionem in Equites vi ſtatutorum §. wir haben nun. liberrimè exercere, magnoque in aulis Magnatum honore affici. Nec illis dignitatem denegandam eſſe putamus, qui ex diſpoſitione magni Magiſtri officiis aliis, ipſisque equitibus præſunt, uti magnus Prior Franciæ, Alverniæ, Campaniæ etc: Chaſſan: *p. 9. conſid. 4.* Vid: Statuta, Ordnung und gebräuche Ordin: Iohannitarum Chriſtiani von Oſterhauſen. *Tit. 9.* von den *Prioren* ꝛc. Ipſis autem equitibus officio alio non fungentibus præter dignitatem generis aliam non tribuimus, cùm nec vota obedientiæ, communionis bonorum & caſtitatis, quæ præſtant, nec ſola militia, cui ſe devovent, dignitatem mereantur *l. 5. & fin. C. qui mil.*

non

non poſſ. ibi: non militia, ſed dignitas. Gloſ. *in l. un. C. de eq. dign.* Bartol. *in l. ex eo. ff. de teſt. milit.*

LXXXIX.

Hactenus de dignitatibus eccleſiaſticis: Tempus nos monet, ut ad ſeculares ijs conferri ſolitas, qui res humanas in republ. curant, tranſeamus, & facto â liberâ republ. Romanâ initio, productâq; ad noſtra uſque tempora narratione nobiliſſimæ hujus materiæ ſumma capita ſtrictim indicemus. Principiò autem notandum eſt, Majeſtatem Imperatoribus, Regibus, Optimatibus ſeu plebi competentem inter dignitates à nobis minimè computari, cùm majeſtas potius ſcaturigo ſit & fons omnium dignitatum: Quod veterum quoque ICtorum nonnulli animadverterunt, Cynus *in l. quoties. C. ubi ſen. vel clariſſ.* ubi concludit, *Imperatorem & Papam non eſſe magiſtratus ſuperillustres, nec in ullo graduum ordine.* Iaſon. *in l. 1. de off. eius, cui.* Quò etiam tendit, quòd Chaſſaneus *p. 1. conſid. 70.* ſcribit, *maieſtatem eſſe virtutis & probitatis excellentiam, ſine magiſtratu, ſine imperio, ſine fortunæ adminiculo honoratum reddens hominem.* V. Suth. *diſſert. de Jdict. n. 183. 184.*

XC.

Dignitates officij ſeculares in republ. Romanâ cohærebant vel *Ordinibus*, vel *Magiſtratibus*. Ordo dignitatem habens duplex eſt: Vnus *Senatorum*; Alter *Equitum*. Cic. *in orat. pro domo. Senatus decrevit, ut omnes, qui rempubl. ſalvam eſſe vellent, ad me defendendum venirent. Proximus huic eſt dignitate Ordo Equeſter.* Senatorius ordo â Romulo inſtitutus ex Patricijs primò ſolis conſtabat, uti ſuprà *th. 45.*] oſtenſum fuit: Pòſt ejectos Reges plebi quoque & equitibus patuit: De plebe admiſsâ ita habet Dionyſius *lib. 7. Antiq. Rom. Optimates multas partes antiquæ dignitatis amisêre, cùm & Senatus, & magiſtratuum & ſacerdotiorum partem plebeiis dediſſent.* De equitibus Livius, qui *lib. XLIII.* Perſeum Macedonem ita facit loquentem. *Equites Romanos Principes juventutis, ſeminarium eſſe Senatus: Jnde lectos in Patrum numerum Conſules, inde imperatores creari.* Erant autem Senatores ampliſſimâ dignitate poteſtateq; illuſtres, & primò quidem de

 ſummâ

ſummâ reip., de pace & bello, fœderibus &c. quotidiè deliberabant, legatosq; audiebant, quæ jura primo loco ante magiſtratus & judicia collocat Ariſtot. *lib. 4. Pol. c. 14.* Parum enim prodeſt forâs exercitus, niſi ſit domi conſilium. Ex Livio ſanè, alijsq; Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus diſcimus, Reges, Conſules aliosq; militiæ præfectos nihil, quod magni momenti eſſet, inconſultis Patribus molitos fuiſſe: Et paſſim occurrunt magnifica de hoc ordine M. Tullij elogia, quibus ſenatum *altisſimum gradum dignitatis, omnium terrarum arcem & ſpeculam* appellat. Ex Senatu porrò magiſtratus, Conſules, Prætores, Cenſores &c: legebantur, ut non ſine ratione compilatores forum *tit. de Senator.* magiſtratuum officiis præmiſerint, notante V. C. Iacobo Gothofredo *in ſer. pandect.* An jus quoque dixerint Senatores, controverſiâ non caret. Nos de primâ reip. liberæ, & primorum Impp. ætate id negamus cum Tacito, qui *lib. 3. Annal. c. 12. id ſuper leges Germanico datum aſſerit, ut in curiâ potiùs, quàm in foro, apud ſenatum, quàm apud iudices de morte eius anquireretur.* A Nerone verò, referente *in vitâ eius* Suetonio, cautum fuit, ut appellationes à judicibus ad ſenatum fierent, id quod confirmatum â Probo Imperatore fuiſſe refert Vopiſcus. Duar. *in tit. de Senat.* Ex quo tempore querelas ſuperiorum magiſtratuum aliasq; extra ordinem cauſſas in Senatu nonnunquam diſceptatas fuiſſe ex *l. 1. §. 2. ff. â quib. app. non lic.* tradit Coraſ. *in Rubr. t. de Senat. n. 10.* Diſſentiunt alij moti autoritate Ciceronis, qui *pro Roſc. Amer.* docet, judicandi poteſtatem ab Equitibus Romanis (puta in centumviralibus judiciis) â Sullâ ad Senatum translatam fuiſſe. Ornamentis inſuper & veſtitu peculiari Senatores â plebe & Equitibus (veluti lato clavo) diſcernebantur, & dignitatem inter Patriciorum & plebis diſcordias, ipſosq; Cæſarum machinationes ad Conſtantinum uſque utcunque tuebantur, unde & orationum Principis in Senatu habitarum *l. 16. ff. de ſponſal. l. 8. de tranſact. l. 3. de donat. int. vir. & ux. l. 1. ff. de fer. l. 1. de tut. & cur. dat. ab his.* & clarisſimæ, i. e., Senatoriæ dignitatis, ordinisq; Senatorii amplisſimi in jure fit mentio *l. 100. ff. de V. S. l. 8. l. ult. ff. de Senat. l. 4. & 5. C. de excuſ. tut.* Multùm tamen

ſub

ſub militari imperio veteris gloriæ ac ſplendoris perijt,& quantùm ferè accrevit Imperatoribus poteſtatis atque licentiæ, tantundem dignitatis Senatui deceſſit. De numero cenſuq; Senatorum Vid. Sigon. *de antiq. iur. civ. Rom. lib. 2. c. 2.* De tempore & loco habendi Senatus, & Senatorum differentiis Gell. *lib. 14. c. 7.* Ioann. Coraſ. *in rubr. ff. de Senat.*

XCI.

Alter ordo dignitate in republ. Romanâ decoratus, Senatorio tamen multò inferior eſt *Equeſtris.* Autorem habet eundem, quem Senatorius Ordo, Romulum, qui trecentis armatis ad cuſtodiam corporis in bello & pace, teſte Liv. *lib. 1. c. 15.*, electis primordia poſuit equitum Romanorum, quorum numerus poſtea partim cooptatione â Cenſoribus ad cuſtodiam & ornamentum civitatis factâ, partim etiam continuâ propagatione ita crevit, ut quadraginta millia equitum ante bellum civile cenſa fuiſſe Suetonius *in Cæſare* prodiderit. Quemadmodum porrò Senatoria dignitas toti quidem generi non adhærebat, in filios verò & nepotes extendebatur *l. 7. in fin. ff. de Senat.*, ita equeſtrem quoque dignitatem in filios tranſmiſſam fuiſſe non obſcurè indicat Cornel. Nepos *in vit. Att. in f.* commemorans *Atticum contemtis honoribus, ordine equeſtri, quo ortus erat, contentum fuiſſe.* Ex equeſtri hoc ordine Centumviri initiò legebantur P. Gregor. *Synt. iur. univ. lib. 47. c. 23. & 24. pr.* Deinde jus habebant ſpectandi ludos ex XIV. ordinibus, i. e., theatri gradibus, quemadmodum ſenatorius ordo in Orcheſtrâ ſpectabat Sueton. *in Aug.* V. Perez. *in tit. C. de Eq. dign. n. 3.* A plebe diſcernebantur annuli aurei geſtatione; Hinc Dio *hiſt. lib. 48.* ſcribit, nemini quondam Romanorum non libertino ſolùm, ſed ne ingenuo quidem annulis aureis, præterquàm Senatoribus & equitibus, uti licuiſſe. Quod autem jus aureorum annulorum manumisſis poſteà datum legimus *t. t. ff. & C. de Iur. ann. aur.* eopſe tamen ad equeſtrem dignitatem evectos eos eſſe putandum non eſt; Alioquin enim melioris conditionis futuri fuiſſent liberti, quàm reliqua plebs ingenua, Cæſaresq; inſigni dedecore honoratum ordinem promiſcuâ manumiſſorum ad-

 misſio-

miſsione affeciſſent, cujus contrarium apparet ex *l. un. C. de eq. dignit.* Quid igitur profuit manumiſsis jus aureorum annulorum? An cum Sigonio dicemus, eos per annulum jus conſecutos ordinem equeſtrem ingrediendi, ſi poſteà forſitan â Cenſoribus eos legi contingeret? An verò, quod Bachovio *in not. ad VVeſemb. tit. de iur. ann. aur.* placere video, annulum iſtâ ætate omnibus ingenuis communicatum libertis quoque conceſſum fuiſſe, ut ad officia nonnulla, â quibus excluſi fuerant, & honores admitterentur? Poſt[illegible] magis placet, quanquam nec prius quicquam habeat abſurditatis.

XCII.

Magiſtratuum dignitatem habentium alij ſunt ordinarij, veluti *Conſules* ſtatim pòſt exturbatos Reges regiâ penè poteſtate creati *l. 2. §. 16. ff. de Or. iur.* quibus cura rei militaris, convocandæ concionis, legum rogandarum, civium ubilibet commorantium puniendorum, ſumtuum ex ærario faciendorum poteſtas competebat Polyb. *lib. 6. hiſt* adeò ut conſulatus honor non injuriâ faſtigium dignitatum appelletur â Casſiodoro *lib. 2. variar. Ep. 2.* Progreſſu temporis per popularitatem Valerii, & Tribunorum plebis intercesſiones dignitas imminuta, & Decemviris Tribuniſq; creatis variam fortunam experta ſub Imperatoribus penitùs ferè eviluit, cùm vel ipſi Principes nomen iſtud aſciſcerent, vel aliis ademtâ poteſtate ſimulachrum dignitatis relinquerent. De ritib. & inſign. Conſular. V. Lipſ. *de magiſtr. pop. Rom. c. 8. & 9. Prætores l. 3. ff. de off. præt. ibi: in dignitate prætoriâ.* Iuri dicundo Anno V. C. 388. ijſdem, quibus Conſules, auſpicijs creati Liv. *lib. 8. c. 32.* Fuit autem illorum nondum occupatâ republ. ingens autoritas, cùm poteſtatem haberent juris ſupplendi, corrigendi, adjuvandi *l. 7. ff. de iuſt. & iur.* & violatores dignitatis ſuæ ſeverè coërcendi *l. 7. ff. de iuriſd. l. un. ſi quis ius. dic. non obtemp.* Sex lictores cum totidem faſcibus eos præcederent, & avocatis Conſulibus munus eorum ſuſtinerent *l. 2. §. 27. ff. de Or. iur.* Mutatâ autem republ. prætura *inane nomen & Senatorii cenſus gravis ſarcina* in edendis populo ſcenicis & circenſibus voluptatibus facta fuit *l. 13. C. Theod. de præt. & quæſt.*

Cujac.

Cujac. *in Parat. C. de off. prat.* *Cenſores*, qui anno V. C. 310., cùm Conſules perpetuis bellorum curis impediti cenſum peragere non poſſent, conſtituti quinto quoque anno cives cenſebant Liv. *lib. 4.* luſtrumque faciebant. De dignitate eorum nemo dubitârit, qui perpendit, eos in mores & vitam civium inquiſiviſſe, atque adeò Viros præ cæteris gravitate, & honeſtate morum conſpicuos fuiſſe. Quin & Senatores loco movere, equitibus equos adimere, & cives ignominiá notare poterant Roſin. *lib. 7. Antiq. Rom. c. 10.* Quanquam autem â turbulentis, & ſeverioris diſciplinæ impatientibus ſæpè ſublatâ fuit cenſura, ab alijs tamen cordatis viris ſemper eſt reſtituta, donec tandem ſub Auguſto Cæſare tribunal ipſorum, cùm primâ magiſtratus ſui die illud conſcendiſſent, corruerit, *omine*, ut Dio ſcribit *lib. 54. non obſcuro, quòd deinceps eorum ſimiles, i. e., privati cenſuram non eſſent geſturi*, Roſinus *d. loc.* *Tribuni plebis* ad injurias Conſulum á plebe arcendas, intercesſiones faciendas, ad minuendam denique Coſſ. & Senatus poteſtatem per ſeditionem creati. Ædiles, qui duplicis ſunt generis: *Plebis*, qui ædibus præerant, in quibus plebs omnia ſua ſcita aſſervabat *l. 2. §. 20. ff. de Or. iur.* quæ anteà pro arbitrio Conſulum ſupprimi Tribuni criminabantur. *Curules*, qui ſacras privatasq; ædes curabant, vias publicas reficiebant *l. un. pr. ff. de viâ publ. & ſi quid.* ab injuriis tuebantur *l. 40. & ſeq. ff. de ædil. ed.* Redhibitoriam & quanti minoris dabant *l. 1. l. 55. ff. de ædil. ed.* *Quæſtores* â Romulo, vel, ut Vlpiano *l. un. ff. h. t.* placet, Tullo Hoſtilio inſtituti, qui publicam pecuniam tractabant, & infimum inter dignitates gradum obtinebant, unde quæſtura *ingreſſus & primordium gerendorum honorum* dicitur *l. un. §. 3. ff. de off. quæſt.* Quæſtoribus poſteà ſuccesſit Præfectus ærario, Comes Sacri patrimonij, Procurator Cæſaris, & in provinciis Rationalis *l. 4. §. 20. ff. de fideic. libert. Rubr. C. de off. com. ſacr. patrim. l. 3. de his quæ in teſt. del.* V. Iac. Gutherium *de off. dom. auguſt. c. 18. 32. 33.* De ProConſule, Præſide alijsq; Vid. Cujac. & VVeſemb. *in Paratitlis.*

XCIII.

Alij v. ſunt extraordinarij, ut *Præfecti urbi*, qui Regibus

 domo

domo abſentibus juri dicundo creabantur *l. 2. §. 32. 33. ff. de Or. iur.* & conſulibus bello implicatis vices eorum obibant. *Liv. lib. 3. c. 9.* ubi refert gravisſimam Q. Fabii præfecti urbi orationem in tribunos plebis, qui legem abſente utroque Conſule rogarant. Sed poſteà mos dandi præfectos expiravit creato prætore, donec Auguſtus Imperator eam dignitatem reſuſcitavit, & curam totius urbis ei conjunxit *l. un. §. 4. ff. de off. praef. urb.* Tandem à Valentiniano, Valente & Gratiano præfecti urbi præfectis prætorio ſunt exæquati *l. 1. C. de praefect. praet.* quo de Vid. Perez. *in d. t. n. 4. & 7.* *Dictatores*, quibus coortâ inter plebem & Senatum diſcordiâ, aut aliâ necesſitate urgente Romani ſummam autoritatem & dignitatem regiam, eamq; liberrimam conferebant. Neque enim facimus cum doctisſimo Arniſæo, qui *lib. 2. de iur. mai. c. 1. n. 3.* Dictatori ſummum imperium negat propterea, quòd perpetuum non erat, *nam rerum moralium natura ex operationibus cognoſcitur; Quare quae facultates eoſdem effectus habent, eodem nomine nuncupandae ſunt. At v. Dictator durante imperio omnes actus eodem iure exercet, quo rex, neq; eius actus ab ullo irritus reddi poteſt* H. Grot. *de iur. bel. & pac. lib. 1. c. 3. n. xi.* adeò quidem, ut populus, cùm Fabium ſervare vellet, apud Dictatorem Papirium precibus egerit Liv. *lib. 8. c. 35.* Dictator hic ex Conſularibus vel Prætorijs Viris ad inſtar *Tribuni Celerum Equitum Magiſtrum* dixit, & dignitate ſibi proximâ mactavit, ad cujus exemplum Impp. poſtmodum Dictatores perpetui *Praefectos praetorio* creârunt, & tantâ poteſtate atque dignitate exornârunt, ut ab illis appellari non potuerit *l. un. ff. de off. praef. praet.* & nobilisſimis imperii partibus vice Cæſaris præfuerint *t. t. C. de off. praef. Or.* Et quanquam, ut dicitur *l. un. ff. h. t.*, primò militaris fuit dignitas, poſteâ tamen togatis quoque hominibus, ICtis potisſimum reip. regendæ aptisſimis delegata fuit, eâdemque Papinianum, Vlpianumque noſtros decoratos â Severis autores ſunt *in vitis eorum* Spartianus & Lampridius. Interreges, qui ſtatim pòſt Romulum ſublatum conſtituti Dionyſ. *lib. 2.* mutatâ iterum in monarchiam republicâ creari deſierunt.

XCIV.

Ad hunc ferè modum maximæ reip. Romanæ dignitates ad tem-

ad tempora Conſtantini M. uſque ſe habuerunt. Conſtantinus autem primus omnium magiſtratuum novam rationem injit, officia, quæ ab uno fuerant geſta, inter plures diſtribuit, & ſplendidis titulis muuivit Euſeb. *lib. 4. c. 4.* Amm. Marcell. *hiſt. lib. 21.* uti cuivis apparet *lib. 1. & 12. C.* evolventi. Commodisſimè autem ad quinq; hæc membra redigi poſſunt; Vt ſcil. ſint *Illuſtres; Spectabiles; Clariß. Perfectiß. Egregii.* Quæ diſtinctio in ff. non extat, & proinde ſub finem ſeculi tertii, quo ICti Pandectarum autores vivere deſierunt, vel initio ſeculi quarti nata fuit. Et procul omni eſt dubio, *l. ult. §. 1. ff. de Senat.* Vlpiani nomen præferentem â Compilatoribus interpolatam, & ſuis temporibus accomodatam fuiſſe, cùm Alexander Imperator, cujus Præfectus & amicus Vlpianus fuit, præfectis prætorio Clarisſimi titulum adjecerit Lamprid. *in vit. Alexandri*, & inſuper Patricii, quorum in *d. l.* fit mentio, Conſtantino demum originem debeant. Aliam dignitatum diviſionem Theodoſio & Valentiniano regnantibus receptam eſſe ex *l. 7. C. Theodoſ. de codic. & l. 2. C. ut dign. ord. ſerv.* colligit Perez. *in tit. C. ut dign. ord. ſerv. n. 1. & 2.* Sed *l. 2. C. ut. dign. ord.* manca eſt, & noſtra diſtinctio plenior atque accuratior, quam ſecutus quoque fuit autor Notitiæ dignitatum in utroque Imperio. Etiamſi autem hæ dignitates ad vitandam confuſionem libro ſeu laterculo majori & minori conſignatæ, eorumq; cura Quæſtori ſive Cancellario commiſſa erat *l. 1. & 2. C. de off. quæſt.*, confuſæ tamen ſæpiùs, & pro temporum varietate, Cæſarumque affectione commutatæ fuerunt. Benè enim notat Alciatus diſpunct. *lib. 3. c. 4.* & Duar. *in tit. de Senator.* titulos hos non perpetuò officiis accesſiſſe, ſed ubi quis officium conſecutus erat, ex arbitrio Principum titulum adjectum fuiſſe. Vbi tamen notandum eſt, titulos plerumque poteſtate & officio majores fuiſſe, cum eâdem pene fertilitate iſtis temporibus, ut hodie noſtris tituli provenirent.

XCV.

Inter Illuſtres, quò etiam Superilluſtres *§. in ſummâ Inſt. de injur. l. eos. §. ſuper. C. de uſur. l. 38. C. de app*, referendos eſſe putat Cujacius *in l. 1. C. de dignit.* ἰλλυστρίους ἤτοι λέγουσι τοὺς πρωτοσπαθαρίους

θαρ́ους καὶ τοὺς ὑπερβεβηκότας αὐτοὺς, primas tenent *Patricii*; ita dicti q. Patres Principum *l. 3. l. ult. C. de Conſul.* Claud. *lib. 2. in Eutrop.*

—— —— *Præſidium legum, genitorq́ vocatur.*
Principis, & famulum dignatur curia Patrem

Non admittebantur autem ad excelſam hanc dignitatem alij, quàm qui Conſulatu aut præfecturâ functi jam fuerant *l. 3. C. de conſul.* Pancirol. *in Not. ut. imp. c. 2.* Diſſ. Hotomannus *in §. 4. Inſt. quib. mod. ius patr. pot.* conſulesque patriciis præferri exiſtimat. Quòd autem Præfectus urbi omnes antecedere dicitur *in l. 3. C. de off. præf. urbi*, id rectè ad conſeſſus in Senatu reſtringitur, cujus Princeps eſt præfectus urbi maximum gerens magiſtratum. *l. 1. C. de off. præf. urbi.* Cujac. *in l. 1. C. de dignit.* VVeſemb. *Parat. ff. de off. præf. urb. inf.* Patriciatus dignitas â Conſtantino M. originem trahit Zoſimus *lib. 2. Eum honoris titulum*, inquit, *Conſtantinus excogitaverat, latâq́ lege ſanxerat, ut qui eum conſecuti fuiſſent, ſuprà ipſos præfectos prætorio ſeſſitarent.* Budæus *in l. ult. ff. de Senat.* An autem ad exemplum conſiliariorum, quibus frequenter uſiſunt boni Principes, eam inſtituerit, ut Pancirollus exiſtimat *d. c. 2.*; An ad ſplendorem Cpoli conciliandum Patricios quoſdam Romanos eò evocatos iſtâ dignitate auxerit, ut Draco *lib. 2. c. 1. de or. & iur. patric.* ſentit, in medio relinquimus. Proximi ab his ſunt Conſules, Præfecti urbi, Quæſtores Sacri Palatij, Magiſtri militum &c. de quorum dignitate & poteſtate Vid. Pancirol. *in Notit. dignit.* Cujac. *in Cod.* & Iac. Gutherium *de off. dom. aug.*

XCVI.

Spectabilis titulus ab Impp. Conſtantinopolitanis inventus, & Senatoribus attributus fuit, qui olim uno omnes titulo Clariſſimi vel Specioſi appellabantur *l. 100. ff. de V. S.* Officia, quibus ut plurimum hic titulus acceſſit, recenſet Zeno in *l. 1. C. ut omn. tàm civ. quàm crim. l. 2. de primic.* Quòd autem Spectabiles cum Clariſſimis frequenter adeò confundantur, ejus rei cauſſam hanc reddit Pancirollus *d. l.* quod in Senatum recepti

duplici

duplici titulo, Clariſsimatus ex veteri inſtituto, Spectabilitatis ex Cæſarum indulgentiâ gauderent. Quò Sidonius quoque collimare videtur, qui *lib.6.* ſenatorem vocat, *Virum ortu clariſsimum, privilegio Spectabilem.*

XCVII.

Clariſsimi nomen antiquitus omnibus in univerſum ſenatoribus competebat *l.7. l.8. ff. de ſenat.* Ioh. Gœdd. *in l. 100. ff. de V. S.* ſed poſteà creſcentibus cum ambitione titulis infimi ſenatorum Clariſsimi ſunt appellati, cùm ſuperiores aut Illuſtres, & Spectabiles vocarentur Cujac. *in l.1. C. de dignit.* Hûc referuntur Præſides provinciarum, exceptis Arabiæ Dalmatiæq; Rectoribus. Proximam poſt Clariſſimatus dignitatem obtinent Equites Romani, quorum tituli habitâ ratione meritorum in Cæſares creſcebant vel minuebantur Tiraq. *de nobil. c.37. in fin.* adeò ut nonnulli Equitum Tiberii jam ætate illuſtres dicti ſint Tac. *lib.2. Ann. c.59. n.4.*

XCIIX.

Sequuntur duo poſtremi dignitatum gradus, iis qui ſenatorii ordinis non ſunt, competentes Pancirol. *c.3.* Perfectiſſimorum virorum jam meminit M. Antonius Imperator in *l. Divo. 11. C de quæſt.* ſi fides habenda eſt Diocletiano. Alioquin certum eſt, perfectiſsimi nomen rarò, imò vix occurrere ante tempora Conſtantini M. cujus eſt *l. un. C. de perfectiſs. dign.* Recenſentur autem inter perfectiſſimos Præſes Dalmatiæ *l. 18. C. de pœn. in inſcriptione,* Præſes Arabiæ Perez. *in tit. de perfect. dign. n.3.* Magiſter cenſus in urbe *l. orphanotrophos. 32. C. de Ep. & cler.* aliique minorum provinciarum præſides, quibus eos, qui in minoribus urbibus jus dicunt, comparat Gloſſa *in l. ult. C. de long. temp. præſcript.* De privilegiis eorum Vid. Pancirol. *c.3. in fin.*

XCIX.

Quinta denique & ultima dignitatum eſt Egregiatus, à Notitiæ quidem autore omiſſa, ſed commemorata in *l. 1. C. Theod. de murileg. l. 1. C. Th. de hon. cod. l. 1. C. Th. de hon. codic.* Lactantius *lib.5. c.15. Nemo egregius, niſi qui bonus & innocens fuerit:*

Nemo clariſsimus, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit; Nemo perfectiſsimus, niſi qui omnes gradus virtutis implevit.

C.

Perventum jam eſt ad dignitates Imperij noſtri Romano Germanici, ſpatioſum ſanè diſputandi dicendiqúe campum, inquem liberè exſpatiari cùm ob temporis anguſtiam tùm nobilitatem argumenti intra anguſtos terminos coarctari minùs idonei non licet. Dignitates iſtæ accedunt officiis vel toti Imperio communibus, vel partibus ejuſdem propriis. Totum imperium concernit officium *Electorum*, eiqúe annexa amplisſima dignitas atque poteſtas. Præterea enim, quòd in publicis Imperij Comitiis ſuffragia, aliaqúe inſignia jura cum reliquis Principibus communia habent, peculiariter nacti ſunt jus eligendi Imperatoris, non Lege Ottonis, multò minus autoritate bullæ Papalis, ut magno conatu docet Bellarm. *lib. 3. de translat. imp.* nec Friderici II. conſtitutione, ut conjicit doctiſs. Lehm. *Chron. Spir. lib. V. c. 17.* acquiſitum, ſed conſuetudine rationabili introductum, & tandem communi Procerum voluntate à Carolo IV. lege publicâ ipſis confirmatum. Capitulationem quoque ſoli Imperatori olim præſcripſerunt, ſed hæc poteſtas ſtatibus iterum communicata fuit *Inſtrum. Pac. Cæſar. Suec. Art. 8. §. gaudeant.* Ad teloniorum & monetæ cudendæ concesſionem itidem conſenſus eorum requiritur *Capit. Ferdinandi III. glorioſiſſ. mem. Art. 20. & ſeqq. & artic. 37. &c.* Hinc columnæ & latera imperij, & palmites Imperiales vocantur *A. B. Art. 24. §. 1. & ult.* & ſplendidisſimis officiis, Cancellariatus, Vicariatus &c. funguntur V. Buxt. *ad A. B.* Limn. *lib. 3. Jur. publ. c. 2. 3. & ſeqq.*

CI.

Communem quoque generis, de quo ſuprà, & officij illuſtris dignitatem ſuſtinent *Principes Imperii*, qui principatuum ſuorum gubernationi actu præſunt: Reliqui enim illuſtrisſimâ quidem generis, nullâ officij dignitate fulgent. Commune eorum officium conſiſtit in deliberationibus de LL. ferendis, bello & pace, fœderibus &c. quibus interſunt non tanquam Conſiliarij, ſed tanquam Principales Limn. *tom. 4. c. 8. n. 12.*,

& con-

& conſequenter psrticipatione jurium Majeſtatis. Vnde concidit ſententia illorum, qui Principes noſtros Præſidibus Provinciarum Romanarum comparant, & refutantur à Ioachimo Clutenio *Syll. rer. quotid. th. 26.* Dignitas hæc Principum valdè redditur illuſtris perpetuâ poteſtatis in filios propagatione; quod tamen ex jure Primogenituræ, uti ſuprà diximus, limitationem patitur. Inter Principes eminent *Sereniſſimi Auſtriæ ArchiDuces*, qui titulus ſolis Auſtriacis competit Chaſſan. *p. 5. Conſid. 44.* & multis eum ambientibus denegatus fuit Mozzius *in tract. feud. tit. de his qui feud. dar. poſſ. n° 6. verſ. Reperitur etiam in Germania.* Pòſt hos numerantur *Comites Palatini*, de quorum officio ac dignitate eidem cohærente V. Marq. Freh. *Orig. Palat. part. 2. c. 1. Duces*, quorum officium ex veteribus monumentis probè explicatum habemus *diſput. de Duc. & Com. Imp. Præſide Dn. Conringio habitâ. Landgravij, Marchiones*, de quibus agit Heig. *p. 1. q. 2.*, *Principes* in ſpecie ita dicti, quorum poteſtas una eſt eademque.

CII.

Tertia eaque toti Imperio communis eſt *Comitum* dignitus, Principali in noſtro Imperio inferior. Id quod contra Chaſſan. tenendum eſt, qui *part. 5. Conſid. 47.* Comites in Alemanniâ Marchionibus ſuperiores eſſe contendit, moresque ſine dubio Galliæ ſuæ reſpexit, in quâ ſecundum Alciat. *in tract. de ſingul. certum. cap. 32.* & Lancell. in *templ. omn. iud. lib. 1. c. 6. n. 3.* Comes Marchionem præcedit, quod limitatur à P. Gregorio *Synt. jur. univ. lib. 6. c. 9.* ut Marchio præcedat, cujus Marchionatꝰ ex tribꝰ Caſtellaniis ſub uno titulo unitis cōſtat. Comites autem deducto à Romanis vocabulo ij dicuntur, qui olim ex comitatu Cæſaris ad adminiſtrandas provincias, vel partes illius, vel civitates mittebantur, & temporariam, quemadmodum Duces dignitatem obtinebat, quam hodie tamen hæreditariam fecerunt Lehm. *lib. 2. c. 18. & 44.* Sunt autem duplicis potiſſimum generis: Alij immediatè Imperatori & Imperio ſubjecti, alij mediatè; Hi cùm dignitate officij totum Imperium concernente non gaudeant R. A. *de Ann. 1548. §.* Wie wol in der Ringerungs handlung hûc non pertinent, Reliqui, qui adſesſiones

& ſuffragia ferenda admittuntur, duo olim vota habuerunt Beſold. *diſſert. de Comit. & Baron. Imp. n. 13.* Sed in Comitiis Ratiſbonenſibus Anno. 1641. habitis tertium acceſſit Limn. *Addit. ad lib. 9. c. 1. n. 143.* Cum his ferè conveniunt *Barones*, quorum nonnulli itidem Status ſunt Imperij, & ad communes dignitates non referuntur. De nomine & origine Baronum Vid. Heig. *part. 1. q. 2.* Vulteium *de feud. lib. 1. c. 4. in fin.* & Feudiſtas comuniter in *c quis dic. Dux. vel Mar.* Quomodo differant à Comitibus, & in quibus cum iiſdem conveniant V. Limn. *Addit. ad lib. 4. iur. publ. c. 5. n. fin.* Caput de immediatis nobilibus ſuprà attigimus, neque hujus loci eſſe opinor, de eorum dignitate quicquam afferre, cum hodie ad comitia non vocentur, adeoque dignitatem officij communis tueri vix poſſint. An autem nobiles iſti ultrò ſe abſtineant à publicis deliberationibus, ut ſentit Beſoldus *diſc. de Ord. Eq.* §. 13. non auſim dicere, mihi tamen negativa ſententia veritati, & moribus nobilium non temerè quidquam de dignitate cedentium convenientior eſſe videtur, quam tuetur Reinking *de regim. ſec. lib. 1. claſſ. 5. c. 10. n. 1. & ſeqq.* & egregiè nuper Limn. *Addit. ad lib. 1. c. 3. n. 18. 19. & ſeqq.*

CIII.

Communem quoque dignitatem *civitates* habent *Imperiales*, per quam à reliquis municipalibus diſcernuntur, votum ac ſeſſionem obtinent in Comitiis, & inter Status Imperii meritò referuntur, ut contra Peucerum demonſtrat. Lehman. *lib. 4. c. 3.* Hinc nobilia Imperii membra Sixtin. *de regal. lib. 1. c. 4. n. 80.* Illuſtres Schurff. *reſp. 26. n. 1. & 2. cent. 1.* Fulcra imperij vocantur Petr. de Andlo *lib. 1. de Rom. Imp. c. 16.*

CIV.

Communi quoque reipubl. totius adminiſtrationi præeſt *Camera Spirenſis*, ſupremam juris dicendi poteſtatem ab Imperatore & Statibus Imperii conjunctim conſecuta Matth. Steph. *de Jdict. lib. 2. part. 1. c. 3. n. 12.* ad quam ex omnibus cauſſis appellationes deferuntur, cujus regulæ exceptiones Vid. apud Matth. Stephani *d. loc.* quædam etiam lites in primâ inſtantiâ in Ca-

in Camerâ diſceptantur Gail. *lib. 1. Obſ. 1. Iudicium quoque aulicum Cæſareum* communem obtinet dignitatem, cum Archiepiſcopo Moguntino Germaniæ Cancellario Magnificentiſſimo juramentum domeſticitatis præſtet Georg. Andr. Maier *de Iuriſdict. ſect. 2. poſit. 5.* Regimenti ſalubriter olim ordinati de induſtriâ non meminimus quia hodie uſus ejus eſt nullus. Interim V. die Ordnung des Regiments Anno 1500. zu Augſpurg auffgericht.

CV.

Partialia officia dignitatem annexam habentia ſpectant commodum vel *circulorum*, vel *provinciarum. Circulorum* commodum ſpectant quàm maximè *Directio circuli*, unde Director ſive Dux Circuli, der Kreis Oberſter cui interdum locum tenens, zugeordnete/ nachgeordnete/ Conſiliarij item aliique miniſtri adjungi ſolent Erklärung des Landfriedens zu Nürnberg Anno 1522. §. vnd ſoll darauff ein jeder. *Provinciarum* ſalutem quæ ſpectant officia, ea ab ipſis illis *Principibus*, quos ſuprà ad publicas deliberationes admitti diximus, geruntur. Conſiſtunt autem in ſalubri provinciæ ad bonum commune gubernatione & dignitatem iis ampliſſimam ac territorialem Idictionem conciliant. Huc pertinent quoque *Comites* certâ Provinciarum parte ab Imperatore inveſtiti, eique immediatè ſubjecti: Et *Nobiles Immediati*, quibus territorialem Idictionem adſcribit Beſoldus *diſſ. d. Ord. Eq. n. 9.* Cùm autem Principes, ad ditiones ſuas, quas ſæpè habent ampliſſimas, benè regendas aliorum miniſterio utantur, qui vel ſacra tractent, vel conſilia ſuggerant, jus dicant, juventutem forment &c. plurimæ hinc enaſcuntur officij dignitates, de quibus ex iis quæ dicta ſunt, judicium fieri poteſt.

CVI.

Dignitates porrò officij ſubdiſtinguimus, ita ut accedant aut *actu adminiſtrantibus*, aut *honorariis*. De iis, qui actu adminiſtrant, latè jam egimus. Honorarij triplicis ſunt generis: *Vacantes l. 2. C. ut dign. ord. ſer.* qui functi ſunt aliquo officio, & honeſtè dimiſſi ornamenta atque inſignia muneris geſti retinent eleg. text. *in l. 4. C. de privil. eor. qui in ſacr. pal. mil. l. 1. ff. de*

 de alb.

de alb.ſcrib. & reliquis honorariis præferuntur Cuiac. *in d. l. 2.* Chaſſ. *p. 6. Conſid. 1. & 5. Supernumerarii,* qui munus propediem vacaturum expectant, intereaq; ornamentis & inſignibus muneris fruuntur, *l. 7. C. de prox. ſacr. ſcrin. Imagin.* quibus citra cingulum dignitas codicillis defertur, ſuffragio magis quàm merito *l. 5. & 6. C. Th. de hon. cod. l. 9. C. de met. & Epidem. Muneris exortes; Nomine participes.*

CVII.

Dignitas denique officij alia eſt *togata*, alia *militaris.* Ad togatam refero Doctores, Licentiatos, Magiſtros. Ad militarem Duces exercituum, Tribunos militum &c. Quæri autem hoc loco ſolet, an dignitas togata præſtantior ſit militari nec ne? Et nemo quidem eſt, niſi perditus, qui dubitet, pacem bello præſtantiorem, & propter illam tutiùs habendam bellum gerendum eſſe, quò facit notisſimum illud Ciceronis; *Cedant arma togæ:* Interim generaliter pro togatâ quæſtionem decidi non poſſe cenſemus: Quis enim ferat ſupremam dignitatem bellicam infimæ cuidam togatæ aut comparari aut poſtponi? Similiter & illud ineptè quæritur à Lancellotto *lib. 1. templ. omn. iud. c. 1.* aliisque, an Doctor juris militi præferatur? Quis enim militiam ſimplicem, quæ dignitas neutiquam eſt *l. 5. & fin. C. qui mil. non poſſ.* cum Doctoris gradu contendat? Sed illud in quæſtionem venit, quæ dignitates togatæ iſti vel illi militari reſpondeant, v. c., an Doctor Centurioni? an tribunus militum Doctori præferatur? quod â Majeſtatis determinatione, locorum conſuetudine & temporum ratione dependet.

CIIX.

Hactenus de nobilisſimis generis atque officij dignitatibus: Aliæ porrò ſunt reales, aliæ perſonales: Illæ in ſucceſſores tranſeunt, hæ perſonis cohærent Anton. Perez. *in t. C. de dign. n. 23.* quibus explicandis immorari temporis anguſtiâ prohibiti nequimus.

CIX.

Reſtat nunc quartum & ultimum diſputationis noſtræ caput *de*

put *de modis dignitatem acquirendi, conſervandi & amittendi.* Acquiritur autem vel *de novo*, vel *ſemel amiſſa recuperatur.* De novo acquiritur dignitas ex Majeſtatis voluntate *vel liberâ*, vel *ad petitionem Candidati ſe referente.* Liberâ majeſtatis voluntate quæ conferuntur dignitaтes alteris ſunt præclariores *c. 24. de præb. in 6. ibi: ſi proprio motu eam fecerimus, ut tunc interpretatio pleniſſima fiat*, & majorem Candidati virtutem arguunt *l. 3. C. de crim. ſacril.* Honeſtè tamen ambiri etiam honores poſſunt, ſi virtus commendet petentem Cic. *in Orat. contra Sall.* Chaſſan. *p. 1. Conſid. 55.*] Circa acquiſitionem dignitatum obſervandum eſt, eas gradatim conferri debere *l. 1. ff. de mun. & hon.* Repentina enim elatio Principi dedecus ac periculum accerſit. Hinc illud Martialis *lib. 7. Epigr. 63.*

Qui tonſor fueras totâ notiſſimus urbe
Et Dominæ poſthac munere factus eques.

Et Amm. Marcell. *lib. 15. hiſt.* commemorat, præpoſitum cubiculi â Conſtantino ad ingentem repentè dignitatem evectum ipſi Cæſari metuendum fuiſſe. Ei autem, qui dignitate afficitur, non rarò exitium affert, nam

Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum.

Amiſſa dignitas recuperatur per reſtitutionem Principis præſertim ſpecialem *l. 2. & 7. C. de ſent. paſſ. & reſt.* Sixt. *de regal. lib. 1. c. 2. n. 21.* Roſenthal *in Synopſi feud. c. 5. concl. 2. n. 4. lit. C.*

CX.

De mòdis conſervandì dignitates ſuprà egimus th. 36. quæ hîc repeti debent, Ad amisſionem refero ea, quæ *vel ab initiò obſtant dignitatem affectanti, vel conceſſam adimunt.* Ab initio obſtat (1) Libertinitas *l. un. C. ad l. Viſell. l. un. C quand. civ. vel crim. act.* Sueton. *in Claudio c. 24.* Hinc vitio vertitur Heliogabalo â Lampridio *in vitâ eius; Quòd ex libertis Coſſ., Duces, Præſides delegerit, adeoq; dignitates polluerit ignobilitate hominum perditorum.* (2) Mercatura *l. 3. C. de comm. & mercat. l. 26. C. de uſur.* quanquam id hodie varias limitationes patiatur Gutierrez. *qq. practic. lib. 1. q. 137. n. 8.* Tiraq. *de nobil. c. 27.* (3) Inhoneſtum opificium,

cium, aut quæſtus ex turpi cauſâ *l. 6. C. h. t.* (4) Infamia *l. 2. C. h. t. l. 3. C. de re milit.* quæ tamen filiis non præjudicat *l. 6. pr. ff. de decur.* (5) Levis etiam macula à dignitatibus longe plurimis excludit, unde ſpurij, & ex concubinâ nati inſignibus familiæ non utuntur Limn. *tom. 6. Iur. publ. c. 6. n. 17.* Ariſtot. *1. Rhet. 5.* & ad feuda non admittuntur 2. *F. 26. verſ. naturales.* Ab officiis verò ita ſimpliciter removeri non debent, cùm multa occurrant in hiſtoriis à ſpuriis patrata egregia facinora, ut Iephtæ, Themiſtoclis, Caroli Martelli, Franciſci Sfortiæ exemplis manifeſtum eſt, & latiùs declarat Palæottus *de noth. c. 55.* Freher. *de exiſtimat. lib. 3. c. 23.* (6) Peregrinitas: Quibuſdam enim dignitatibus exteri decorari non debent, cui tamen obſtaculo conſulitur per civitatis communicationem, quam Galli naturaliſationem vocant. (7) Indignitas, ἀναξία de quâ ſuprâ. Conceſſam ſemel dignitatem tollit reatus *l. 1. C. ubi ſen. vel clar. l. 12. C. h. t.* intereà tamen, dum de crimine cognoſcitur, dignitatem retinent criminis poſtulati *l. 17. §. 12. ff. ad municip.* Cujus contrarium in Galliâ obſervari ex *Loyſ. des offices lib. 1. c. 14.* docet Perez. *in tit. C. de dignit. n. 73.* Sed & tùm dignitatem amittit, cùm ob malè geſtos honores accuſatur Perez. *in tit. C. de reis poſtul.*

FINIS.

COROLLARIA

I.

Jus Canonicum neque autoritatem neq; originem debet Pontificibus Romanis.

II.

Pacta in continenti adjecta non augent obli-

obligationem in ſtricti juris judiciis. Neque diſtinguendum heic eſt cum Bachovio inter mutuum & ſtipulationem.

III.

In l. 16. ff. de pign. & hypoth. non continetur pactum commiſſorium.

IV.

Non ſunt diſtinctæ ſervitutes: Jus altius, & non altiùs tollendi.

V.

Exheredatio non tollit jus ſuitatis.

VI.

Perſonæ Eccleſiaſticæ jure divino juriſdictioni magiſtratus civilis non ſunt exemtæ.

VII.

Injuriam ab aliis auditam aliis rèvelans injuriarum tenetur, neque nominando autorem ſuum liberare ſe ab actione poteſt.

IIX.

Advocatus prudens victoriam clienti ſuo nunquam promittit.

IX.

Non pugnant inter ſe §. omnes filij. 2. F. 26. & c. un. ſi plures ſint domini. 2. F. 77.

X.

Jus accreſcendi tàm in iis, qui verbis tantùm ſunt conjuncti, quàm in re & verbis ſimul & re tantùm conjunctis locum habet.

Præ-